TOMI I. PARS XXI.

In Oecumenico Constantiensi Concilio
A. 1417. d. 11. Nov. magnifice electi
MARTINI V.
PAPÆ

REGULÆ CANCELLARIÆ

A
JOHANNE OSTIENSI, Cardinale & Vice-Cancellario, A. 1417. d. 12. Nov. in Concilio
scriptæ
& A. 1418. d. 26. Febr. ibidem publicatæ.

FELICISSIMIS AUSPICIIS
SERENISSIMI PRINCIPIS ac DOMINI
DN. RUDOLPHI AUGUSTI
BRUNSVIC. AC LUNÆBURG.
DUCIS &c.

Ex antiquissimis Codicibus MSCtis
VINDOBONENSI AC LIPSIENSI
recensitæ ab
HERMANNO von der Hardt.

FRANCOFURTI ET LIPSIÆ
IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.
HELMESTADI, Typis SALOMONIS SCHNORRII, 1697.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

MSCt. VINDOBONENSE
Tomo I. Actorum Concilii Const.

* * *

REGULÆ
MARTINI PAPÆ V.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

HERMANNUS von der Hardt.

Lectori S.

EPiscopus *Laudensis* laudabili studio conscientiam Electorum novi in Concilio Pontificis, ad conclave maturantium, solennissima oratione *die* 8. *Nov.* serio fuerat obtestatus, qui laude dignum sisterent Papam, omnibus virtutibus ornatum, Reformationi conficiendæ aptum. *Imperator* quoque eodem die seraq; nocte ingressos jam conclave Papæ Electores per Deum sanctissime obsecraverat, miserti Ecclesiæ optimum Papam darent, qui statum Ecclesiæ emendare vellet & posset. Exeo inter continuas preces ac processionum festivitates, omnium animi in spem emendatissimi Pontificis eligendi triduo fuerunt suspensi, donec *S. Martini Episcopi* memoria, die qvarto incidens, publico fato monuit, qvalem Episcopum, quam religiosum, quam bonum, quam humilem, quam sincerum, quam saluti Ecclesiæ deditum, Patres eligerent. *Martino* opus *Episcopo resuscitato*, qui non sua sed Ecclesiæ commoda unice quæreret, integritatemqve Ecclesiæ redderet. Hunc Imperator, hunc Reges ac Principes Christianorum universi expetebant atqve exoptabant. Ut igitur æterna apud novum Pontificem extaret integritatis, sinceritatis atqve probitatis regula & norma, eligi hic *die Martini* debuit, divino sane fato, & *Martini nomen* eidem imponi oportuit. Sic natus in conclavi hoc Martini die *Martinus Papa*, *Oddo de Columna*, exantiqva & nobili stirpe Romanus, hactenus *Cardinalis*, prudentiæ & moderationis laude in Constantiensi Concilio insignis.

Instinctu divino prænunciatum ab erudito quodam Viro memorat Spondanus, *Columnam* fore Papam, quem in Concilio Constantiensi Patres essent electuri.

Fuit hic Theodericus Vrie, Theologus Augustinianus, Westphalus, eruditione & singulari probitate atque sanctitate, teste *Schiphovvero*, illo tempore clarissimus. Hic in pulcherrima *Historia Concilii Constantiensis*, quam *Consolationem Ecclesiæ* inscripsit, *libro II.* (quem longe ante electionem *anno* 1416. conscripsit, cum quartum librum *A.*1417. *mense Januario, feria 6. ante Dominicam septuagesimæ* absolveret:) Hic inquam, laudato *libro 2. dist.*8. *Parte I.* hujus Tomi, *f.* 53. isthæc edidisse visus est oracula. *Sapientia*, inquit, *ædificavit sibi domum, & excidit* columnas VII. *Istæ vero columnæ tuæ, ô sponsa,* (Ecclesia) *confirmatæ sunt. Unde per os David loqvitur Spiritus S.* Ego confirmavi columnas ejus. *Sed quomodo columnæ istæ dicerentur excisæ & confirmatæ, nisi essent nobiles, insignes & fortes? Nobiles sunt, quia aureæ, insignes quod argenteæ, & fortes quod ferreæ atque marmoreæ. Et tu eris ô sponsa* (Ecclesia) *ferrea. Unde Propheta Jeremias*: Dedi te in columnam ferream. Nam
„ sicut ferrum cetera metalla domat, sic & tu omnia mundi regna subju-
„ gabis. Tu es etiam columna, fundamentum veritatis, secundum Apo-
stolum ad Timotheum. Et qui tuus erit provisor, rectorqve religio-
„ nis sanctæ, COLUMNA erit FIRMISSIMA ex auro fulvo, bases erunt ar-
„ genteæ, & erit columna marmorea stans firmissime, neque ad sini-
stram neque ad dextram declinans. Unde Johannes in Apocalypsi:
„ Qvi vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei. Qvod si non
„ vicerit, non erit columna. Columna igitur erit in templo meo futurus
Pontifex, qui triumphum in Ecclesia militante reportabit, victis ho-
„ stibus religionis Christianæ, columna inquam aurea, columna argen-
„ tea, columna ferrea, & columna marmorea. Talis eligetur summus
sacerdos, qui non alia, quam talis columna statuetur. Hic vere RE &
„ NOMINE COLUMNA erit, quem eligent Summi Pontificis Ele-
„ ctores. Unde Johannes in Apocalypsi, quasi illum digito monstrans,
ait: Ponam te columnam in templo Dei mei. Prophetia ista fallere non
„ potest, cum Spiritus S. ipsam sit elocutus. Tu ergo *COLUMNA, qui-*
„ *cunque ille fueris, in templo Dei columna firmaberis, ut pacem Ecclesiæ largiaris, schismatis veneno plenius extirpato.*

Habitus hoc augurio Vates *Theodericus Vrie*, celebris Theologus & Historicus, eventu probatus. Sane, quam spem ex hujus electione conceperit IMPERATOR, ex eo intelligi potest, quod cum hunc electum audivisset præ gaudio, immemor velut suæ majestatis atq; Cæsareæ dignitatis, in Conclave irrumperet, eumq; complexus ex animo illi gratularetur. Breviter & concinne hæc *electionis fata* delineavit *Nauclerus, Chronographiæ, volum. 2. Gen.*48. *f.*1049. *Cum de restituenda Ecclesia emendandisque moribus clericorum mentio haberetur, fieri id non posse existimarunt vacante sede. Unde de eligendo novo Pontifice sermo est habitus. Ordinatum est, Spiritu S. suggerente, quod aliàs non putatur servatum, & hoc ad majorem concordiam, ut ultra voces Cardinalium, qui erant de triplici obedientia, scilicet Gregorii, Johannis & Benedicti, adderentur*

ex qualibet natione quinque prælati, qui vocem cum Cardinalibus in electione fienda haberent. Conclave igitur intrantibus, infra paucos dies electus est ab omnibus, post aliquam discussionem & vocum variationem, unanimiter & concorditer Otho Cardinalis de Columna, vocatusq; Martinus V. Anno 1417. *Mense Novembri. Effusus nimio gaudio Imperator, nullo habito dignitatis suæ discrimine, conclave ingressus, gratias omnibus egit, qui tantum virum & tam necessarium reipublicæ Christianæ prope extinctæ delegissent: Et ante Pontificem prostratus, cum summa veneratione ejus pedes osculatus est. Qvem contra Pontifex amplexus non secus ac fratrem in pretio habuit: Gratias egit, quod sud operâ & industria pax tandem Ecclesiæ Dei reddita esset. Vocari autem Martinus obtinuit, quod ea electio in divi Martini celebritate habita fuisset.*

Bonam hujus *novi Pontificis Martini indolem* idem commendat *Nauclerus, l. c. Martinus, natione Romanus, ex familia Columnensium, à teneris annis, cura parentum moribus & literis imbutus, juri Pontificio Perusii operam dedit. Diaconus Cardinalis postea ab Innocentio VI. creatus. Nec ob eam rem à natura sua discessit. Humanior enim quam antea factus, patrocinium suum omnibus præstabat. Ita tamen, quod rebus publicis non multum se immiscebat. Nam in conventu Constantiensi multæ in utramque partem altercationes cum haberentur, ipse medium quoddam tenuit, quod in alterutram partem inclinare nullo modo videbatur, communi utilitati consulens. Hanc ob rem Imperatori & Cardinalibus gratus Pontifex creatur. Ejus sermo plenus sententiis erat. Excidebat nullum verbum tam crebro, quam justitiæ nomen. Ad suos persæpe conversus, his verbis utebatur. Diligite justitiam, qui judicatis terram.*

Qvamprimum electionis celebritas, *Tomo alio* plenius describenda, *die* 11. *Nov.* finita, altero statim die, 12 *Nov.* ante qvàm Papa Martinus esset coronatus, in *Collegio Cardinalium Vice-Cancellarius Johannes Ostiensis*, permultis negotiis in Concilio inclytus, *pristinum suum* in Pontificis electione *officium* præstitit, *Regulas Cancellariæ novi Pontificis Martini* V. scribendo edendoqve.

Hic autem erat lapis, qui dudum offenderat Nationes, qvemq; tot annis atque lustris, & in ipso hoc Constantiensi Concilio, magno molimine volverant, si qua à se amoliri, seque ab hoc onere, ut ajebant, gravissimo liberare possent.

Constitutionum enim sive Regularum Cancellariæ atque Cameræ moles adeo premere censebatur universas christiani orbis Ecclesias, ut vix illo tempore respirare aut hiscere possent. Non duntaxat *opibus exhaustæ* dicebantur, quæ ad Cameram Romanæ sedis absportatæ, sed & *juribus suis* in constituendis ac præficiendis personis Ecclesiasticis *privatæ*, quin & *ineptissimis*, rudibus, sceleratis *viris*, Romano decreto obtrusis, *oneratæ*. Idq; per Reservationes Papales in *Regulis Cancellariæ* expressas, per Expectativas gratias, per vacantias, confirmationes, dispensationes, annatas, exemptiones, incorporationes, commendas, decimas, indulgentias, & similis generis immensa onera.

Hæc suspiria, desideria, vota, lacrymæ, preces Nationum, non tan-

tum ansam Concilio Constantiensi dederant, sed & remedia in illo sufficientia quærere jusserant.

Ut proinde caput mali, *Simonia*, quæ per venundationes officiorum Ecclesiasticorum, ex reservationibus præsertim ac expectativis, *Alexandri V. & Johannis XXIII.* totum statum Ecclesiasticum fœde maculasse visa, præscinderetur: In Constantiensi Concilio de *Regulis Cancellariæ Romanæ* vel plane *tollendis*, vel *restringendis* ac *emendandis*, publice privatimq; inter Patres actum.

Docent hoc *Acta & monumenta* virorum illustrium, ipsiusque *Reformatorii statuta* ac decreta, hactenus longa serie *hoc Tomo* ex antiquissimis MSCtis exhibita.

Videri inter alia possunt Partis V. *caput* XXIII. *f.* 122. *seqq.* & *caput* XXIV. *f.* 126. *seqq.* Partis VI. *caput* II. *f.* 256. *seqq.* & *caput* V. *f.* 236. *seqq.* Partis VII. *caput* III. *f.* 280. *caput* VI. *caput* VII. VIII. IX. X. *f.* 282. & *seqq. cap.* XIIX. XIX. *f.* 294. *cap.* XXIV. *f.* 301. *seqq.* Partis IX. *caput* VII. *f.* 515. *cap.* IX. *f.* 518. *seqq. cap.* XVI. Partis X. *cap.* X. XI. XII. *f.* 615. *seqq. cap.* XIII. XV. XVI. XVIII. XX. XXIII. XXX. Pars XII. integra.

Præterea publico etiam Concilii decreto haud longe ante novi Pontificis electionem *iidem Regularum Cancellariæ articuli* diserte expressi, qui *per novum Papam essent emendandi*, *supra in præfatione Partis XX.* cum aliis recensiti. Qvanquam verò hæc spes aleret Imperatorem omnesque Nationes in Concilio præsentes, *Martino* tamen *Papâ* electo, vacillare spes statim vel visa vel deprehensa. Ex tempore enim, altero novi Pontificis die, *Regulæ Cancellariæ*, ab antecessoribus Pontificibus definitæ, sunt resuscitatæ, redintegratæ ac approbatæ, more apud Antecessores consveto. Qvicquid etiam contra illas dubiorum tot annis & in ipso Concilio movissent Nationes.

Idem quoque harum *Martini V. constitutionum* scriptor in Concilio, qui *Regularum* JOHANNIS XXIII. proxime ante Constantiense Concilium editor fuerat, *Johannes Ostiensis*, *Cardinalis & Vice-Cancellarius.* Ut proinde planum fiat atque apertum, quàm conspirent, & ubi alicubi à se discedant *Johannes* 23. & *Martinus V.* in suis *Cancellariæ regulis*, de quibus tanto cum motu disputatum fuerat, & lis adhuc in Concilio pendebat: E re fore visum *Constitutiones Johannis* 23. præmittere *Regulis Martini.*

Illas ex *MSCto Bibliothecæ nostræ Academiæ*, has ex gemino *MSCto*, cum *Vindobonensi*, tum *Lipsiensi*, depromsimus. Neque intermisimus, sicubi Codices *MSCti*, *Vindobonensis & Lipsiensis*, differrent, sedulo notare. Apud Parisienses simile *MSCtum Regularum Cancellariæ Martini* spectari, observavit *Spondanus*, sed non recensuit.

Neque has *utriusque Pontificis constitutiones* ex hac *historica Actorum Concilii recensione* omittere aut excludere par fuit. Qvandoquidem non tantùm ampla hæc certaminis materia fuerat in Concilio, sed & superiora quorundam illustrium virorum, ut & proxime secutura monumenta, quæ hæc tangunt, sine illis intelligi nequaquam possunt. Præterea nostrum non est dissimulare *publica* hæc Concilii *Acta*, quæ in variis MSCtis nobis obviis residua, à nobis missa, negligentiæ notam

nobis

nobis inurere, aut studii partium nos accusare poterant. Qvod utrumqꝫ quam longissime in hac etiam antiqua Historia à nobis abesse cupimus.

Qui hoc unice agimus, ex *Serenissimi Ducis* RUDOLPHI AUGUSTI clementissimo nutu celsissimoq; arbitrio, ut singula Acta, quæ in nostras ex MSCtis incident manus, commodo distributa ordine fideliter & candide absq; fuco & affectu recenseamus. Neque alia mens nobis unquam erit enarrantibus. Qvi certi sumus, hæc longissime à nostra ætate remota, nude ac plane ob oculos posita, scitu fore non injucunda. Qvippe qui pristinum orbem eminus intueamur, & majorum motus, studia, consilia, actiones, tantum non vana omnia, tanquam in scena spectemus, nostri temporis tranquillitate potiti, nec adeo immemores Salomonis, *Eccles. c. I, 14. Vidi omnia opera, quæ fiunt sub sole, & ecce omnia sunt vanitas, & afflictio spiritus.*

REGULÆ CANCELLARIÆ
SIVE
CONSTITUTIONES DOMINI JOHANNIS PAPÆ XXIII.

Bononiæ publicatæ in Audientia contradictarum, *Sabbati* XIX. *Julii, Anno Domini M.CCCC.X.*

Ex antiqvo *Codice MSCto Helmstadiensi.*

SAnctissimus in Christo Pater & Dominus noster, Dominus JOHANNES, divina providentia PAPA VICESIMUS TERTIUS, vestigiis prædecessorum suorum inhærendo, *in crastinum suæ assumtionis*, videlicet *XVI. Cal. Junii, Anno Domini M.CCCC.X.* fecit, constituit, & ordinavit *reservationes, constitutiones & regulas* subsequentes.

Qvas duntaxat suo tempore voluit observari.

Qvas publicari fecit in *Cancellaria & Audientia* per me *JOHANNEM Episcopum Ostiensem, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem*, & ipsius Ecclesiæ *Vice-Cancellarium.*

Inprimis fecit similes *reservationes* illis, quæ in constitutione Domini *Benedicti Papæ* XII, quæ incipit, *Ad regimen*, continentur, ubicunq; prælaturæ, dignitates, & beneficia, ibi videlicet contenta, vacaverint. *De reservationibus Benedicti XII.*

In eadem die *idem Dominus noster* declaravit, omnes canonicatus, & prædictas dignitates, personatus, administrationes, & officia, cæteraque beneficia Ecclesiastica, secularia & regularia, cum cura & sine cura, per felicis recordationis Dominum *Alexandrum Papam quintum*, prædecessorem suum, *reservata, & quæ vacabant tempore obitus ejusdem* prædecessoris, remansisse & remanere per hujusmodi reservationem & decretum effecta, nullumque de illis præter Romanum Pontificem potuisse sive posse disponere quovis modo. *Alexandri V.*

Item *reservavit generaliter* omnes dignitates majores in Cathedralibus Ecclesiis post Pontificales, & principales in collegiatis Ecclesiis, ac prioratus & præposituras Conventuales, Regulares (*forte*, præceptorias generales) ordinum quorumcunque, & quæcunque beneficia,

quæ

quæ *sui* & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, *Cardinalium familiarium* (forte familiares) *continui commensales* obtinent, & inposterum obtinebunt.

De Revocationibus beneficiorum Alexandri V. Antecessoris.

Item *septimo Cal. Junii*, pontificatus sui anno primo, *cassavit* & irritavit *omnes gratias expectativas*, quibuscunque personis per felicis recordationis Dominum *Alexandrum Papam quintum* prædecessorem suum factas, quarum vigore seu prætextu nondum erat provisum dictis personis, licet per eas, seu eorum autoritate, beneficia Ecclesiastica forsan acceptassent, vel non acceptassent.

Item. Eadem die *revocavit omnes uniones*, quacunque autoritate factas; quæ non sunt sortitæ effectum.

Circa *expeditionem literarum.*

De regulis Cancellariæ antecessorum.

Inprimis voluit & ordinavit idem Dominus noster, Dominus *Johannes Papa* XXIII, quod *regulæ* & ordinationes Domini *Johannis* XXII. *Benedicti* XII. *Clementis* VI. *Urbani* V. *& Gregorii* XI. prædecessorum suorum, in cancellaria Sanctæ Romanæ Ecclesiæ serventur: Salvis *modificationibus, additionibus & detractionibus*, super his & aliis regulis per eum factis & faciendis.

De Expectativis gratiis.

Item. Voluit & ordinavit, quod, quando aliqua *supplicatio particularis* sive in rotulo signata fuerit per eum per simplex *fiat*, sive *supplicatio* fuerit *gradualis*, sive non, si sit *gratia expectativa*, non detur per dictam signationem, nisi unum beneficium, & una collatio, etiamsi plura petat: Si vero sit *de beneficio vacante*, tunc per dictam signationem detur: Nisi unus modus vacationis, & etiam, si specialiter reservatum fuerit.

Item voluit & ordinavit, quando aliqua supplicatio, sive particularis sive in rotulo signata fuerit per eum per *fiat, ut petitur*: Si sit gratia expectativa, tunc voluit, quod *in Italia* veniant duo beneficia, & duæ collationes: Ita tamen, quod supplicans vigore gratiæ hujusmodi non possit habere nisi canonicatum & præbendam in una Ecclesia Cathedrali, si in ea petat, & aliud extra: Et *in Alemania, Bohemia, Polonia, & in partibus Gallicanis*, & etiam *Anglia*, & in *Scotia* unum beneficium, & unam collationem tantùm, etiamsi plura petierit. Et si hujusmodi supplicatio *de beneficio vacante* existat, tunc habebit modos vacationis & reformationis, (*forte* reservationis) quos petiit dispositive, & clausulas: Aut aliàs quovis modo, aut per quamcunque aliam partem vacet, si petat, etiamsi sedi Apostolicæ specialiter reservatum existat. Et si duo vel plura petit beneficia in eadem supplicatione, per *fiat, ut petitur*, non datur, nisi unum beneficium, quod supplicans duxerit eligendum.

Voluit tamen, quod si duo vel plura beneficia petantur in eadem supplicatione, & non excedant valorem LX. florenorum, quod eo casu dicta duo vel plura beneficia dentur per *fiat, ut petitur*: Et quod in Ecclesia cathedrali vel collegiata veniant Canonicatus, & præbenda ac dignitas, personatus, administratio, vel officium, si petantur, prout inferius de graduatis impetrantibus in Cathedralibus Ecclesiis ordinabitur.

Item voluit & ordinavit, quod quando supplicatio aliqua signata fuerit per *fiat, ut petitur, & dispensamus*, quod tunc dispen-

ſatio detur, & alia petita, dum tamen illis regulis non contrarien-
„ tur. Et ſi ſupplicatio hujusmodi ſignata fuerit per *fiat de omnibus*,
„ quod tunc omnia petita veniant, excepta diſpenſatione, ſi petatur
in eadem. Quia non vult, quod per ſignationem quamcunque di-
„ ſpenſatio petita veniat, niſi expreſſa mentio fiat in ſignatione eadem,
„ vel, niſi gratia hujusmodi eſſet talis, quæ totaliter concerneret ipſum
„ actum diſpenſationis, vel aliàs ipſa gratia de aliquo ſine diſpenſatio-
„ ne non proſit.

„ Item *in forma pauperum* detur in locis reductis, ſi cum cura, xxx
„ & ſine cura xxv; Et in non reductis, ſi cum cura L. & ſi ſine cura, xxx
„ florenorum &c. Et in *Hiſpania* & *Arragonia*, ſi cum cura, LX, & ſi ſine
„ cura xxv. Et in *Italia*, ſi cum cura, L. & ſine cura, xxx. florenorum.
„ In *Alemania*, ſi cum cura, xxx. & ſi ſine cura, xxv. marcarum.

„ Item, quod *graduati* in eadem forma habeant duas literas, & ta-
„ xam gratiæ ſpecialis, quodque *in Alemania* marcæ argenti, & *in An-*
„ *glia, Scotia, & Hibernia*, Sterlingorum, intelligantur ad ſupra dictas
taxas.

„ Item voluit & ordinavit, quod nullus in rotulis gratiarum expe-
„ ctativarum, datas ordinatas habentibus, poſſit aliquem loco ſui
ponere.

„ Item voluit & ordinavit, quod *in partibus Gallicanis*, in quibus-
„ cunque gratiis expectativis nulli detur ad canonicatus & præbendas
Eccleſiarum cathedralium, etiamſi ſupplicatio ſignata fuerit per *fiat*,
„ *ut petitur*: Magiſtris in Theologia, Doctoribus & Licentiatis in jure
„ canonico vel civili, Magiſtris in Medicina, Licenciatis, Baccalariis
in Theologia, & Magiſtris in artibus, qui per ſeptennium poſt magi-
„ ſterium in eisdem artibus rexerunt, vel tamdiu in Theologia ſtudue-
„ runt, familiaribus Domini noſtri Papæ commenſalibus, in eorum rotulis
principalibus contentis, ſedis Apoſtolicæ officialibus, & Cardinalium,
„ Imperatorum, Regum & Ducum familiaribus, commenſalibus, in eo-
„ rum rotulis principalibus contentis, & nobilibus magnis, duntaxat *ex-*
ceptis. Et quod illis, qui petunt de canonicatu *ſub expectatione præben-*
„ *dæ in Eccleſiis cathedralibus*, in quibus admitti non poſſunt, obſtante or-
„ dinatione prædicta, detur de beneficio Eccleſiaſtico, cum cura vel ſine
cura, ſi *ſupplicantes capaces* fuerint, etiamſi canonicatus & præbenda
„ alterius, quàm cathedralis fuerit Eccleſiæ, ad collationem, &c. Epiſco-
„ pi, Decani, & capituli, ſingulorum canonicorum & perſonarum Ec-
cleſiæ, in qua petebant ſe admitti: Et aliis graduatis detur ad dignita-
„ tes, perſonatus & officia in Eccleſiis Cathedralibus collegiatis, ſi petunt:
„ Principali dignitate ſemper excepta. Sed in *aliis partibus* placet ei-
dem Domino noſtro, quod habeant etiam *graduati & alii, qui per trien-*
„ *nium ſtuduerunt in ſacra Theologia, vel jure canonico aut civili, conti-*
„ *nuo in Studio Generali*. Et hoc expreſſe in literis Apoſtolicis exprima-
tur. Noluit tamen ſub iſta regula officiales ſedis Apoſtolicæ includere.

„ Item. Voluit & ordinavit, quod in dictis *partibus Gallicanis* de-
„ tur Magiſtris & Licentiatis & Baccalariis in Theologia formatis, & Do-
ctoribus & Licentiatis in jure, & Magiſtris in medicina, & nobilibus
„ Tom. I. Pars XXI. Rrrrr magnis

„ magnis, ad dignitates, personatus, administrationes vel officia in Ecclesiis Cathedralibus, si petant: Cæteris non detur ad quæcunque be-
„ neficia, etiamsi officia in Cathedralibus & collegiatis Ecclesiis fuerint,
„ dummodo canonicatus & præbenda in cathedralibus, aut dignitates, vel personatus, ubicunque, non existant. Voluit tamen idem Domi-
„ nus noster, quod *Baccalarii in jure canonico vel civili, in Studiis Gene-*
„ *ralibus Italiæ facti*, in istis duobus annis pro non graduatis reputentur.

Item quod in *Parisiensi, Rothomagensi, Tornacensi, Cameracensi,*
„ *Bajocensi, Narbonensi, & Ambianensi* Ecclesiis, ad canonicatus & præ-
„ bendas earum nullus in rotulis quibuscunque expectativis veniat im-
petrare: In Theologia vel medicina Magistris & Doctoribus, ac etiam
„ Licentiatis cum rigore examinis in jure canonico vel civili, ac fratri-
„ bus & nepotibus ac consangvineis germanis Dominorum Cardina-
lium, & magnis nobilibus, duntaxat *exceptis*.

„ Item voluit & ordinavit, quod, si in aliquo rotulo gratiarum expe-
„ ctativarum, per eum signato vel signando, aliqua supplicatio de bene-
ficio vacante, vel aliquo alio, quam de gratiis expectativis reperiatur,
„ quod nunquam per signationem generalem rotuli intelligatur esse si-
„ gnata vel concessa, nec literæ expediantur super eadem.

Item voluit & ordinavit, quod *in quibuscunque gratiis expectativis*
„ semper *excipiantur* dignitates majores in cathedralibus post Pontifica-
„ les, & in regularibus prioratus, ac dignitates, & conventuales, etiamsi
per *fiat ut petitur*, & etiamsi *proprio motu* vel *de omnibus* signatæ forent:
„ Nisi idem Dominus non diceret in signatura, *fiat, ut petitur*, etiam de
„ majori dignitate vel principali aut conventuali.

Item voluit & ordinavit, quod *in partibus Gallicanis* literæ expe-
„ diantur pro Magistris & Licentiatis, ac Baccalaureis formatis in Theo-
„ logia, & Doctoribus in jure canonico vel civili, ad unum beneficium
„ tantum, cujuscunque taxæ fuerit, vel de canonicatu sub expectatione
præbendæ ac dignitatis, personatus, vel officii in cathedrali vel in col-
„ legiata Ecclesia, si petit: Reservata tamen super hoc *modificatione* in-
„ ferius data: Etiam si plura petantur. Et in *Anglia* voluit, quod *Ma-*
gistri, Doctores, Licentiati, ac Baccalaurii prædicti, habeant, si cum
„ cura, LX, & si sine cura fuerit, XL. marcarum Sterlingorum, secundum
„ taxationem decimæ. Et etiam si petantur, habeant canonicatus & præ-
bendas &c. ut præfertur.

„ Item, quod *Magistri in Medicina, & jure canonico vel civili Licen-*
„ *tiati*, habeant in secularibus beneficiis, in partibus & *in locis Gallicanis*,
in quibus antiqua taxatio decimæ ad medietatem illius taxationis est
„ reducta, si cum cura XXIV. si verò sine cura, LX. Et in locis non reductis,
„ si cum cura XX. &, si sine cura fuerit, XXIV. librarum Turonensium par-
vorum, secundum taxationem decimæ.

„ Item. *Magistri in Theologia non formati, ac in jure canonico vel ci-*
„ *vili Baccalaurei, & in Medicina Licentiati & Magistri in artibus*, ha-
beant in locis reductis, si cum cura, LX. si vero sine cura, XL. Et in non
„ reductis, si cum cura C. & si sine cura fuerit, LXX. librarum, ut supra.

„ Item quod *cæteri scholares* habeant in locis reductis, si cum cura,

„ LX, & si sine cura, XXX. Et in non reductis, si cum cura, LX, si vero sine
„ cura, XL.

„ Item, quod *regulares* habeant in reductis, LX. & in non reductis,
„ XXIX. librarum Turonensium parvorum, secundum taxationem de-
„ cimæ.

„ Item, quod in *Alemania, Scotia, & Hibernia* detur *secularibus non*
„ *graduatis*, si cum cura, XXV, &, si sine cura fuerit, XVIII. marcarum.
„ *Regularibus*, XXX. marcarum. In *Anglia* vero, in speciali, si cum cura,
„ XL, & si sine cura, XXX. marcarum.

Item. *In Italia* tot floreni dentur: LX. floreni cum cura, & XL. flo-
„ reni sine cura.

„ Item. Quod *Magistri in Theologia, & Doctores & Licentiati in jure*
„ *canonico vel civili, & Magistri in Medicina*, nec non *Licentiati & Bac-*
„ *calaurei formati in Theologia*, una cum gratiis quibuscunq; obtentis, in
„ rotulis vel supplicationibus particularibus, possint quæcunq; *beneficia*
„ *compatibilia*, quæ obtinent, retinere, dummodo fructus eorum &c.
„ CCC. libras in portatis non excedant, & hoc *in partibus Gallicanis* tan-
„ tum.

De beneficiis compatibilibus.

Item. Quod *in Theologia non formati, & in jure canonico vel ci-*
„ *vili Baccalaurei, & Magistri in artibus, & Licentiati in medicina*, una
„ cum gratiis expectativis possint quæcunque *beneficia compatibilia*, quæ
„ obtinent, *retinere*, dummodo eorum fructus CL libras in portatis
„ non excedant *in partibus Gallicanis*.

„ Item; Quod alii *non graduati* etiam *beneficia*, quæ obtinent, *compa-*
„ *tibilia*, cum eorum gratiis expectativis *retinere* valeant, dummodo
„ eorum fructus LX libras in portatis non excedant *in partibus Galli-*
„ *canis*.

„ Voluit tamen idem Dominus noster, quod, qui *quinque beneficia*,
„ vel *ultra*, (habeat) quod si gratiam expectativam ad unum benefici-
„ um, aut unum vacans, aut certo modo vacaturum, impetret, quod te-
„ neatur dimittere tot beneficia de habitis, quot beneficia consequetur:
„ Protonotariis, correctoribus literarum Apostolicarum, & sacri pala-
„ tii Apostolici causarum auditoribus & secretariis *exceptis*; Etiam, si
„ infra summas supra ordinatas comprehenderentur, nisi *in regnis Si-*
„ *ciliæ, & Trinacriæ*, & *in provinciis beati Petri*, in *Tuscia* & *Marchia*
„ *Anconitana*, & *in urbe*, & in ejus districtu.

„ Item, quod obtinentes beneficia, quorum reditus &c. XV. libras
„ Turonensium parvorum secundum taxationem decimæ vel commu-
„ nem æstimationem non excedant, *in communi forma* valeant impe-
„ trare; Ita tamen, quod illa per assecutionem &c. dimittere teneantur:
„ Et etiam habentes possessionem beneficiorum, in quibus *asserunt*, *se*
„ *jus habere* vel ad rem illorum, & etiam eorum, *super quibus se asserunt*
„ *litigare*, cujuscunque valoris seu taxæ existant, possint *in eadem for-*
„ *ma* impetrare, & illorum non teneantur exprimere fructus, sed in e-
„ ventum assecutionis ea dimittant.

„ Item voluit & ordinavit, quod *in Cathedralibus Ecclesiis* non admit-
„ tantur ad canonicatus & præbendas, ac dignitates, personatus & offi-

„ cia, nisi *legitime nati*: Dispensationibus super hoc obtentis vel obtinendis non obstantibus quibuscunque.

„ Item, quod in *dispensationibus* concessis per Dominum nostrum Papam *super defectu naturalium* (natalium) non venient dignitates in cathedralibus, nec in collegiatis Ecclesiis, etiamsi petantur, & etiamsi signentur per *fiat, ut petitur*. Et si signantur etiam *de dignitate*, tunc non veniet dignitas major post pontificalem in cathedrali, „ nec principalis in collegiata, nisi idem Dominus noster in signatione exprimet de majori vel principali, & impetrans *nobilis* esset *magnus*, „ vel *magister in sacra Theologia* ac *Doctor in jure canonico vel civili*, „ aut *licentiatus cum rigore examinis* in scientiis antedictis: Cætera tamen venirent impetranti.

De dispensationibus.

„ Item. Etiam licet *excessum* esset *per Dominum nostrum Papam, aut prædecessores suos in dispensationibus Apostolicis* super defectu naturalium, (natalium) quod impetrantes de cætero non teneantur facere *mentionem de hujusmodi defectu*, in quibuscunque gratiis beneficialibus per eos impetrandis: Quod nihilominus teneantur facere „ mentionem de ipso defectu in gratiis beneficialibus quibuscunq; per „ eos impetrandis: Alioquin ipsæ gratiæ sunt nullæ. In quo tamen noluit *Magistros in sacra Theologia, Doctores in jure canonico & civili*, „ ac in eisdem scientiis *cum rigore examinis Licentiatos*, aut Regum vel „ Principum filios vel nepotes (comprehendere.

De excessibus in dispensando.

„ Item voluit & ordinavit, quod, quando signabit aliquam supplicationem per *fiat, etiam dispensamus*, vel per *fiat, ut petitur, etiam dispen-* „ *samus*, quod nunquam per dictam dispensationem intendit dispensa- „ re cum aliquo, ut parochialem Ecclesiam cum parochiali Ecclesia vel dignitate majori post pontificalem in cathedrali vel metropolitana, „ in principali, in collegiata Ecclesia, vel majorem cum majore aut „ principali, vel aliquod istorum cum alio ex eisdem *retinere* valeat *ad tempus*, vel *quoad usque vixerit*: Nisi in signatione posuerit per ex- „ pressum: Exceptis supra proximis &c.

„ Item voluit & ordinavit, quod omnes & singuli, gratias expectativas impetrantes, in gratiis eorum expectativis, sive hujusmodi gra- „ tiæ particulariter vel in rotulo signatæ fuerint, *exprimant beneficia,* „ *quæ obtinent*: Alioquin gratiæ ipsæ sunt nullæ.

„ Item voluit & ordinavit, quod in *quibuscunque supplicationibus gratiarum*, de beneficiis Ecclesiasticis vacantibus vel certo modo vacatu- „ ris, etiam si canonicatus & præbenda, personatus, vel officia existant, „ per eum quibuslibet personis *faciendarum*, ipsorumqve quorumcunqve aliorum beneficiorum, quæ dicti obtinebunt, seu de quibus eis „ fuerit provisum, & mandatum provideri, *veri valores exprimantur*, „ secundum communem æstimationem: Nisi gratiæ *motu proprio* essent factæ, vel nisi hujusmodi beneficia, quæ obtinent, impetratores offer- „ rent se dimissuros, aut propter eorum incompatibilitatem cum illis „ quæ impetrarent, simul obtineri non possent. Tamen *in partibus* „ *Gallicanis*, in arbitrio sit impetrantis, exprimere verum valorem se-

cundum

„ cundum eandem æstimationem, vel quantum in observantia valent
„ annuatim. Alloquin dictas (gratias) voluit esse nullas.

„ Item voluit etiam *in confirmationibus beneficialibus* observari, &
„ qvod prædictus *valor* per marcas argenti, vel *Sterlingorum*, seu libras
„ Turonensium parvorum, vel per florenos, seu Ducatos aut Francos,
„ aut auri uncias, vel argenti, *exprimantur*. Alias literæ non expedi-
„ antur, & gratiæ hujusmodi sint nullæ.

Item voluit & ordinavit, quod de cetero quicunque *impetrans ali-*
„ *qua beneficia Ecclesiastica uniri vel incorporari* cathedralibus vel colle-
„ giatis Ecclesiis seu monasteriis, aut mensis Episcoporum, vel abbatia-
„ libus, aut quibuscunque aliis beneficiis, tales impetrantes teneantur
„ *exprimere verum valorem*, secundum communem æstimationem tam
„ beneficii sic uniendi, quam Ecclesiæ vel monasterii, aut mensæ, seu al-
terius beneficii, cui unio ipsa fieri debeat. Alioquin uniones non va-
„ lent: Et literæ super eis non expediantur per cancellariam. Et in ta-
„ libus unionibus semper fiat *commissio ad partes*. Et *oneretur conscien-*
tia illorum, quibus committentur. Et idem voluit observari, quando
„ impetratur *confirmatio unionis jam factæ*.

De incorporationibus Ecclesiarum.

„ Item, quod in omnibus literis *provisionis Ecclesiarum titularium*
ponatur *clausula*, quod illi, qui ad Ecclesias ipsas promovebuntur, *tene-*
„ *antur in ipsis Ecclesiis residere*, nec possint pontificalia extra suas civi-
„ tates & diœceses exercere, nisi hoc specialiter indulgeatur eis à Papa.
Et idem voluit observari, quando providetur Ecclesis aliquibus, quo-
„ rum fructuum valor annuus summam CCC. florenorum auri non
„ excedat.

Item, voluit & ordinavit, quod, si contingat, aliquem petere *con-*
„ *firmationem* alicujus unionis, compositionis vel donationis, transactio-
„ nis, aut alterius cujuscunque contractus, *cum clausula: Supplere commu-*
nem defectum, si quis in eis intervenisset: Qvod non sit in intentione sua
„ supplere aliquos defectus, nisi essent in supplicatione specialiter ex-
„ pressi, vel nisi supplicatio signaretur per *fiat, ut petitur*.

Item voluit & ordinavit, quod nullus vigore expectativæ, ab ipso
„ impetratæ vel impetrandæ, possit impetrare beneficia dispositioni suæ
„ vel sedis Apostolicæ quomodolibet reservata: Etiamsi expectans ha-
„ beat clausulam in genere vel in specie, quod beneficia in Romana curia
„ vacante possit acceptare, & de illis facere provideri, aut quid simile in
„ effectu.

Item voluit, & ordinavit, quod gratiæ de *Capellanatu Apostolicæ*
„ *sedis*, quibuscunque personis concedendæ, nisi constet, seu constare
„ posset de earundem personarum expressa confessione, nullius existant
„ roboris vel momenti.

De Capellanatu Apostolicæ sedis.

Item voluit & ordinavit, quod, si aliquis *procuratorio nomine* pro
„ alio *appellet à sententia in causa in Romana curia pendente*, ut asserat
„ se procuratorem, pro quo interponitur appellatio, offerens se proba-
„ turum de sufficienti mandato ad appellandum, *si in probatione deficiat*,
„ ita, quod de hujusmodi mandato sufficienter docere non possit, audi-
„ tor causæ appellationis hujusmodi appellantem ipsum, etiamsi pars ipsa,

De procuratoribus appellantibus in curia Ro.

„ pro qua appellaverat, eandem appellationem postmodum ratam ha-
„ beat, tanquam *falsarium* puniat, & ipsum à prosecutione procuratorii
„ officii in palatio Apostolico, perpetuo, vel aliàs ad longum tempus, si-
„ curi ei videbitur, repellat, vel mulctet in viginti florenis, vel minori
„ summa, descendendo usqve ad summam decem florenorum auri, &
„ non inferius: Qvorum medietas in usus pauperum convertatur, ap-
„ pellatione remota.

Item voluit, & ordinavit, quod si quem *ex litigantibus in Romana*
„ *curia* super quocunque beneficio Ecclesiastico, aut dignitate vel perso-
„ natu, seu officio, decedere, matrimonium contrahere, vel religionem
„ intrare, vel alius casus contingat, propter quod jus illi competens in
„ tali beneficio, dignitate, personatu, vel officio, vacet & vacare spera-
„ tur, & litigans, in jure seu ad jus hujusmodi, si quid illi competeret,
„ per eundem Dominum nostrum surrogetur, aut surrogari mandetur:
„ Auditor dictus ad causam ipsam non prius in ipsam vel ad provisionem
„ surroget, vel surrogando procedat, quàm ipse *docuerit*, per Apostoli-
„ cas vel alias autoritates, quasi literas, de ipsius beneficii collatoris col-
„ latione sibi facta, seu alio colorato titulo, aut saltem *juraverit*, quod
„ causam ipsam non malitiose nec fraudulenter, sed pure & bona con-
„ scientia inchoaverit, ipsiqve etiam auditori, ipsum ita esse, visum fue-
„ rit ex verisimilibus conjecturis. Qvo casu ad prædictam *surrogatio-*
„ *nem* procedat idem auditor, justitia mediante. Alioquin voluit idem
„ Dominus noster, dictas *surrogationes & commissiones*, & quæcunque
„ inde secuta, nullius existere valoris vel momenti. Hoc etiam exten-
„ di voluit ad quascunque causas & *litigia in prædicta curia*, & per ap-
„ pellationem pendentem indecisa.

„ Item voluit & ordinavit, quod omnes supplicationes beneficiales,
„ tam particulares, quam in rotulis, pro quibuscunque personis, quæ
„ *Consiliarios*, *Secretarios*, *officiarios*, seu *familiares Cardinalium*, *Re-*
„ *gum*, *Ducum*, *Comitum*, *Principum*, seu aliorum quorumcunque, in
„ eorum petitionibus se nominant, seu scribunt, hactenus sibi porrectæ,
„ & ut antea porrigendæ, nisi tales proprie, tempore porrectionis vel da-
„ tæ supplicationis hujusmodi, & per unum mensem ante, *veri Consilia-*
„ *rii*, *Officiarii*, *Secretarii*, seu *familiares* illorum, quorum nomine *hæ*
„ supplicationes formatæ vel porrectæ, fuerint, & servituti eorundem
„ veraciter insistent, sint nullæ.

„ Item voluit & ordinavit, quod quando acceptionem, collationem,
„ provisionem, præsentationem, institutionem vel electionem quorum-
„ cunque beneficiorum confirmabit, seu confirmari mandabit, aut impe-
„ dimenta tollet, vel mandabit tolli ex eis, super ea proinde valere vult
„ decerni, ac si impedimenta hujusmodi non intervenissent, semper ad-
„ datur in literis confirmationis *clausula* hæc, videlicet, *dummodo impe-*
„ *trans non fuisset intrusus*, prout in literis confirmationis addi con-
„ svevit.

„ Item, quod si in aliqua supplicatione de beneficio vacante vel cer-
„ to modo vacaturo petatur *data anterior*, quod nullatenus data ipsa
„ petita veniat, nisi ipse Dominus noster in signatura manu sua ponat,
„ *fiat*

„ *fiat sub data petita.* Et quod super supplicationibus & rotulis gratia-
„ rum expectativarum, in quibus idem Dominus noster scribit, *& sub*
„ *data consueta*, non expediantur literæ, nisi *detur* in eisdem supplica-
„ tionibus & rotulis per expressam positum fuit per ipsum Dominum
„ nostrum, vel per datorem.

„ Item voluit, & ordinavit, quod literæ super petitionibus per eum
„ signatis, aut per *concessum*, in quibus data non est posita, non expedi-
„ antur, nisi sub data currente illo die, quo in Cancellaria ponitur.

„ Item voluit & ordinavit, quod per *concessum* non veniat, nec tan-
„ tùm, nisi dicat, *concessum ut petitur*, plus quàm per *fiat*.

„ Item voluit & ordinavit, quod si in aliqua supplicatione petatur
„ aliquod beneficium, per *obitum*, vel *alium modum vacandi*, in cancel-
„ laria exprimendum, quod literæ super tali supplicatione nullatenus
„ expediantur, sin, ipsa sit nulla.

„ Item voluit & ordinavit, quod si contingat ipsum *providere* aut
„ mandare provideri *alicui* de certo beneficio Ecclesiastico, quod per il-
„ lum vigore gratiæ ipsius Domini nostri fuit infra tempus debitum ac-
„ ceptatum, de quo erat sibi provisum, eatenus, ut gratiâ suâ, vel sibi
„ ordinaria, vel quavis alia autoritate fuit collatum, & *eadem die de illo*
„ *providerit*, vel concedat *alteri* provideri: Quod ille, qui dictum bene-
„ ficium acceptavit, vel alias obtinebat, præfertur illud petenti *sibi sim-*
„ *pliciter conferri.*

„ Idem voluit, quando *surrogat*, vel mandat surrogari aliquem ex
„ collitigantibus, in jure, seu ad jus, quod competebat alteri, quod ille
„ præferatur alteri non collitiganti, secum in data concurrenti. Et idem
„ voluit, in gratia, si neutri facta, litiganti concurrenti cum non liti-
„ gante.

„ Item voluit & ordinavit, quod quicunque vigore gratiarum ex-
„ pectativarum acceptaverit quæcunque beneficia Ecclesiastica, secula-
„ ria vel regularia, cum cura, vel sine cura, etiamsi canonicatus & præ-
„ benda aut dignitates, personatus vel officia, seu administrationes fue-
„ rint, teneantur & debeant infra unius mensis spatium, à tempore hujus-
„ modi acceptationis computandum, de hujusmodi beneficiis per eos, ut
„ præfertur, acceptatis, *sibi per suos executores vel subexecutores facere*
„ *provideri*, alioquin elapso dicto mense hujusmodi acceptationes per
„ eos factæ, & quæcunque inde secuta, quoad numerum & qualitatem
„ beneficiorum, quæ acceptationes ipsæ concernerent, vel concernere
„ possent, eo tempore sint cassata & irrita, nullíusq; roboris vel momenti.
„ Et quod infra tres menses ex tunc immediate sequentes teneantur hu-
„ jusmodi *acceptationes in loco beneficii publicare;* Aliàs gratia & acce-
„ ptatio, & provisio hujusmodi sint nullæ.

„ Item voluit & ordinavit, quascunque *renunciationes*, *resignatio-* *De resi-*
„ *nes*, *cessiones*, *& dimissiones*, de cætero per quoscunque, quos ipsum *gnationi-*
„ post hoc promovere contingat ad aliquam cathedralem Ecclesiam vel *bus.*
„ monasterium vacans, de quibuscunque beneficiis Ecclesiasticis, secu-
„ laribus vel regularibus, curatis aut non curatis; etiamsi dignitates,
„ personatus, vel officia, canonicatus & præbendæ, seu qualiacunque
existant,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

existant, sive simpliciter, sive ex causa permutationis, aut quavis alia de causa, & si in curia Romana vel extra, *in quibuscunque seu quorumcunque manibus faciendis, per quindecim dies ante vacationem Ecclesiæ* vel monasterii hujusmodi, ad quam seu quod fiet ipsa promotio, & etiam inter ipsam vacationem & promotionem hujusmodi, & omnia quæ sequentur ex eis, ob eas fore *nulla vel inefficacia*, & nullius roboris vel momenti: Ita quod ipse Dominus noster de illa per reservationem specialem vel generalem provide disponere intendit, ac si per eandem talem dimissionem minime vacavissent.

Item voluit & ordinavit, quod de cetero, *si quis in infirmitate constitutus resignaverit* aliquod beneficium, sive ex causa permutationis sive simpliciter, *& postea infra* 20. *dies de illa infirmitate decesserit*, talis *resignatio* non valeat, & sit omnino *irrita*, & tale beneficium censeatur vacare per obitum dicti resignantis.

De jure Vice-Cancellarii.

Item voluit, & ordinavit, quod *Vice-Cancellarius* possit concedere *conservatorium* in forma consveta Dominis *Cardinalibus* ad quinquennium, & *Prælatis & aliis personis Ecclesiasticis* dare consvetum ad terminum. Et voluit, quod aliquis vigore *conservatorii* hujusmodi ultra duas dietas extra suam civitatem & diœcesin non trahatur.

Item, quod possit etiam *aggravare*, etiam cum invocatione auxilii brachii secularis, quoscunque *processus*, autoritate Apostolica habitos & habendos contra quascunque personas, quæ eis non parendo excommunicationem, & alias sententias incurrerint. Nec non, quod possit mandare *exequi sententias in curia latas* etiam contra illos, qui postea scienter in beneficiis litigiosis (se) intruserunt: Et *committere restitutioni in integrum*, si & prout de jure: Et advocare causas beneficiales & profanas, in curia pendentes, de consensu partium: Et in partibus omittere, terminando; Ac omnia, quæ de simplici justitia sunt, per Cancellarium dari consveta, committere, si petantur in forma speciali.

Item voluit, & ordinavit, quod possit *recipere*, per se, vel alium, quascunque *resignationes*, quorumcunque beneficiorum Ecclesiasticorum, à quibuscunque personis, illa simpliciter, vel ex causa permutationis resignare volentibus, & supplicationes pro *permutantibus* signare; Et quod literæ fiant sub bulla.

Item. Qvod possit *absolvere*, per se vel per alium, illos, qui ignorant in supplicationibus, notis vel grossis bullatis seu signatis, aliquid corrigere, scribere, vel delere; Nec non per se ipsum absolvere quoscunque *falsarios supplicationum*, notarum grossarum, & bullæ prædictarum, prout videbitur expedire.

Item, quod *defectum natalium patientes*, qui ante dispensationem fuerint in forma examinati, seu collocati, aut quarum gratiarum datæ datam hujusmodi dispensationem antecedent, possit de novo super gratiis eorum dare literas de data sequenti dictæ dispensationis: Ita quod tales *gratiæ* propterea *surreptitiæ* reputentur.

Item, quod possit Dominis *Cardinalibus concedere altare portatile*, ut *ante diem & in locis interdictis*, & eligendi confessores, ac testandi, & *dandi indulgentias dierum*, & privilegia de fructibus percipiendis pro familiaribus.

Item,

Item, quod *Patriarchis*, *Archi-Episcopis*, *Episcopis* & *Electis* testandi, & celebrandi ante diem, & in locis interdictis, ac per alium Ecclesias & cœmeteria suarum civitatum & diœceseos, per sangvinis vel seminis effusionem polluta, reconciliari facere ad triennium, quousque opus fuerit, expedire possit, & *licentiam concedere*.

Item, quod possit omnibus *electis Abbatibus*, ad quascunque cathedrales Ecclesias aut monasteria per eundem Dominum nostrum promovendis, à curia absentibus, *concedere*, ut ipsi à quocunque maluerint catholico Antistite munus consecrationis seu benedictionis recipiant, ut in forma.

Item, quod possit *Scriptoribus & Abbreviatoribus* eorum officiis insistendo ad triennium *licentiam concedere*, de fructibus percipiendis.

Item, quod possit *committere examen* ad partes, pro quibuscunque impetrantibus, ultra duas dietas à curia Romana existentibus, dum sibi videbitur expedire; Ita, quod de sufficientia impetrantis & judicis, formatæ recipiantur.

Item, quod possit omnes causas beneficiales, etiam non devolutas, infra curiam, (vocare) cum potestate citandi ad partes, absque alio specialiori mandato.

Item, quod possit Dominis *Cardinalibus præsentibus & futuris concedere, quod possint* Ecclesias & monasteria, & alia loca, aut personas Ecclesiasticas, in archidiaconatibus, & aliis beneficiis Ecclesiasticis, & etiam commendatis Consistorii, in quibus eis visitationis officium competit de consvetudine vel de jure, usque ad triennium per personam idoneam, quoties tempus visitationis congruit, *visitare, & procurationes inde debitas in pecunia numerata recipere*, ut in forma:

Non obstantibus inhibitionibus, reservationibus Apostolicis contrariis quibuscunque.

Finis Constitutionum Johannis XXIII.

MARTINI V. PAPÆ
In Constantiensi Concilio A. 1417. d. 11. Nov. Martini die electi
REGULÆ CANCELLARIÆ,
Altero statim post electionem die, np. 12. Nov.
à JOHANNE OSTIENSI, Cardinale & Vice-Cancellario, more consueto in Concilio conscriptæ
& A. 1418. d. 26. Febr. ibidem publicatæ.

Ex antiquissimis Codicibus MSCtis
VINDOBONENSIBUS AC LIPSIENSIBUS.

ADillius, cujus perfecta sunt opera, & à quo ejus in terra vicario omnis perspicitur collata potestas, laudem & gloriam; Apostolicæ sedis, ipsi imperante vicario, laudabile regimen: Agendorum quorumlibet normam regiam: Ac juge prosperitatis publicæ fomentum.

Seqvuntur *Ordinationes*, sive *Regulæ*, per sanctissimum in Christo patrem & Dominum nostrum, Dominum MARTINUM, divina providentia PAPAM QUINTUM, anno Domini M. CCCC XVII *die* XII. *Novembris*, *in crastinum suæ assumtionis ad summi apostolatus apicem, & ante suæ coronationis solennia* factæ & editæ.

A. 1417. d. 11. Nov. Martinus V. electus Papa, d. 12. Nov. regulæ hæ Cancellariæ factæ, ante ejus coronationem, ab Ostiēsi, Cardinale, Vice-Cancellario.

Quas *suo duntaxat tempore durare* voluit. (a) Quasque postmodum Ego JOHANNES OSTIENSIS EPISCOPUS, *sanctæ Romanæ Ecclesiæ* VICE-CANCELLARIUS, & CARDINALIS VIVARIENSIS nuncupatus, de ipsius Domini nostri mandato, tam in *Cancellaria Apostolica*, quam dictæ *sedis audientia publica*, publicari mandavi atque feci solenniter, ut est moris, *die Sabbathi, XXVI Februarii*, Pontificatus sui anno primo.

A. 1418. d. 26. Febr. publicatæ hæ regulæ.

Inprimis etiam nonnullorum suorum *prædecessorum*, donec super his aliud ordinandum duxerit, *inhærendo vestigiis*, *Reservationes* fecit, illis similes, quæ in constitutione felicis recordationis *Benedicti Papæ XII.* prædecessoris sui, quæ incipit: *Ad regimen*, continentur, ubicunque prælaturæ, dignitates, & beneficia, ibidem comprehensa, *vacaverint*.

Reservationes Martini V. similes antecessorum reservationibus.

Item declaravit, quæcunque & qualiacunque, canonicatus, præbendas, prioratus & præposituras, dignitates, personatus, officia & alia beneficia Ecclesiastica, secularia & regularia, cum cura, vel sine cura, in *Balthasaris, Johannis XXIII. Petri de Luna Benedicti XIII. & Angeli de Corario*, *Gregorii XII.* olim nuncupatorum, obedientiis, per contendentes de papatu inibi *reservata*: Et etiam, quæ dictus *Petrus*, tempore, quo de hujusmodi papatu contendere inciperet, obtinebat: Quæ videlicet tempore ac occasione subtractionis obedientiarum earundem, ipsis *Balthasari, Petro & Angelo, generali Constantiensi vigente concilio*, factæ, vacabant: Remansisse & remanere (b) per hujusmodi reservationem & decretum effecta: Nullum de illis, sive etiam cathedralibus Ecclesiis vel monasteriis, eorundem contendentium ordinationi & dispositioni reservatis, & tempore & occasione subtractionis hujusmodi vacantibus, præter Romanum Pontificem ea vice potuisse sive posse disponere, vel se intromittere quoquo modo. Ac decrevit irritum, &c.

Item prædicta die *reservavit generaliter*

(a) In Codice MSC. Lipsiensi: *Quas suo duntaxat tempore durante voluit observari.*
(b) In Codice MSC. Lipsiensi: *per hujusmodi reservationes & decreta, affecta.* Quod forte clarius.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Reſervationes generales Martini V. pro domeſticis ſuis & Cardinalium.

ter diſpoſitioni ſuæ omnes dignitates majores in cathedralibus poſt Pontificales, & principales in collegiatis Eccleſiis, ac prioratus & præpoſituras conventuales, nec non præceptorias generales ordinum quorumcunque, & quæcunque beneficia, quæ *ſui* & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ *Cardinalium familiares*, continui commenſales, obtinent, & in poſterum obtinebunt.

Item eadem die *reſervavit generaliter* diſpoſitioni ſuæ quoſcunque canonicatus & præbendas, ac dignitates, perſonatus & officia, cæteraque beneficia Eccleſiaſtica, cum cura vel ſine cura, *in Baſilica principis Apoſtolorum*, nec non ſancti *Johannis Lateranenſis* ac *B. Mariæ majoris de urbe* Eccleſiis, tum *vacantia*, & in antea *vacatura*.

Reſervationes Eccleſiarum urbis Romæ.

Legati Pontificis excludun, tur à diſpoſitione illarum reſervationum papaliũ.

Item eadem die declaravit, quoscunque, etiam *de latere, Apoſtolicæ ſedis legatos*, quamvis etiam hactenus ſuper hoc autoritate prædicta ſive facultate munitos, poſt hujusmodi ejus aſſumtionem non potuiſſe, ſive in ante poſſe diſponere quomodolibet de beneficiis diſpoſitioni Apoſtolicæ generaliter reſervatis: Decernens irritum &c.

Item eadem die *revocavit* omnes uniones, quacunque autoritate factas, quæ nondum ſuum ſortitæ fuerint effectum.

Circa expeditionem literarum.

Regulæ Cancellariæ Pontificum ante Martinum, confirmatæ.

INprimis voluit & ordinavit Dominus noſter, quod omnes & ſingulæ *Johannis XXII. Benedicti XII. Clementis VI. Innocentii VI, Urbani V. & Gregorii XI.* prædeceſſorum ſuorum, ordinationes & Regulæ, in cancellaria Apoſtolica, ſalvis infra ſcriptis, firmiter obſerventur.

De Expectativis (c)

De expectativis gratiis.

Item voluit & ordinavit, quod per ſignaturam quamcunque, in Rotulis ſuper *expectativis gratiis* generaliter pro tempore factam ſuper quibusvis petitionibus inibi contentis, niſi ſeorſim ſufficienter ſignatæ appareant, literæ aliàs quàm ſuper hujusmodi expectativis nullatenus expediantur. (d)

Expectativarum exceptiones.

Item voluit & ordinavit, quod in quibuslibet expectativis gratiis dignitates in cathedralibus majores poſt pontificales, & in collegiatis Eccleſiis principales, ac in regularibus prioratus, & dignitates conventuales, & præceptoriæ generales, ſemper *excipiantur*: Non obſtante quacunque ſignatura, etiam *motu proprio* facta: Niſi ſpecialiter in ea de majori dignitate, vel principali aut conventuali vel generali concederetur.

Idoneorũ potior habenda ratio in ſacris beneficiis conferendis.

Item voluit & ordinavit, quod, ſalvis regulis infra ſcriptis, per quamcunque ſignaturam, gratiæ expectativæ in rotulo vel extra appoſitam, etiam pro quocunque, ad unum duntaxat beneficium, & unicam collationem, vel de canonicatu ſub expectatione præbendæ alicujus Eccleſiæ, (e) etiam ſi petatur, literæ concedantur. Sed *pro idoneis*, ut infra, (f) poterit addi de dignitate, perſonatu, adminiſtratione vel officio Eccleſiæ, in qua petet de hujusmodi canonicatu, cum expectatione præbendæ. *In Italia* tamen petentibus duo

(c) In *Codice MSC. Lipſienſi* hæc eſt inſcriptio: *De expectativis Regula Cancellariæ, lecta & publicata pro parte Domini noſtri Martini Papæ Quinti in audientia Contradictarum apud Eccleſiam Sancti Stephani, Conſtantiæ, die Sabbati, XXVI. menſis Februarii.* Niſi forte hoc tituli augmentum ad totius potius operis hujus frontem pertineat: Quod ab amanuenſe aut librario imprudente huc relatum. Quod ex eo fit veroſimile, quod nullus operi huic *in hoc codice* titulus ſit præmiſſus. Deinde non ſequentes ſolùm ſed & præcedentes regulæ illo in loco, eodemque die ſunt lectæ & publicatæ, ut in operis exordio eſt notatum.

(d) In MSCto Lipſ. brevior eſt hæc conſtitutio, his verbis: *Quod per generalem ſignaturam, in quibuscunque Rotulis expectativarum factam, literæ aliàs quàm ſuper hujuumodi expectativis nullatenus expediantur.*

(e) In MSCto Lipſienſi: *Si petatur, literæ expediantur.*

(f) In MSC. Vindobonenſi: *Ut prima* legebatur, vitio, ut apparet, veteris librarii. Unde ex MSC. Lipſienſi *infra* fuit reſtituendum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

In Italia. duo dentur beneficia & totidem collationes, etiamsi unum illorum (*g*) duntaxat canonicatus & præbenda Ecclesiæ cathedralis existat. Verum ubicunque petens *ad beneficia* simpliciter, & ut supra *idoneus*, habeat, etiamsi canonicatus & præbenda, dignitas, personatus, administratio vel officium, in cathedrali, etiam metropolitana, aut collegiata Ecclesia (*h*). Aliis autem detur, etiamsi in Ecclesia cathedrali, ac canonicatus & præbenda alterius, quàm ipsius cathedralis Ecclesiæ, seu officium, ubicunque fuerit. Et omnibus istis in qualibet Ecclesiarum prædictarum canonicatus & præbenda cum præstimoniis & præstimonialibus portionibus, nec non oblegiis, abditamentis, ferculis, supplementis, & similibus, unius tantum ipsius Ecclesiæ canonicatus quomodolibet vacantis vel vacaturi. Quorum fructus, si impetrans *doctor* vel *Licentiatus* in aliquo jurium, cum rigore examinis, aut *in Theologia* saltem *formatus Baccalaureus* fuerit, LX. aliàs XXX. librarum Turonensium (*i*) parvorum, vel tantundem in alia moneta, secundum taxationem decimæ non excedant, pro uno beneficio veniant, si ad hoc petitiones eorum se extendant.

De taxa beneficiorum sacrorum eruditis conferendorum.

Item voluit & ordinavit, quod, ubicunque literæ expediantur in expectativis pro *Magistris, Licentiatis, baccalaureis formatis in Theologia, & Doctoribus in jure canonico vel civili*, tam secularibus quam regularibus, *ad unum beneficium* tantùm, cujuscunque taxæ fuerit, vel de canonicatu sub expectatione præbendæ ac dignitatis, personatus, administrationis vel officii, &c. ut supra, collegiatæ vel cathedralis Ecclesiæ, si petatur: Si vero signatura suffragetur eis *ad duo vel plura*, detur taxa in universo ad C. & L. libras Turonensium parvorum, vel tantundem in alia moneta, secundum taxationem decimæ.

In Gallia, & Hispania.

Item *in partibus Gallicanis* ac per totam *Hispaniam*, sive signatura ad unum sive ad plura beneficia se extendat, detur *Magistris in medicina, & in jure canonico vel civili Licentiatis* cum rigore examinis, in beneficiis secularibus, in locis, in quibus antiqua *taxatio* decimæ ad illius medietatem est *reducta*, (*k*) si cum cura, LXXX, si sine cura LX. Ubi verò *reductio* non est, si cum cura, C. & XX, si vero sine cura fuerit, LXXX. librarum Turonensium parvorum, secundum taxationem ante dictam. (*l*)

Item, quod in *Theologia non formati, aut in jure canonico vel civili Baccalaurei*, nec non *in medicina*, ac *sine rigore examinis in aliquo jure licentiati, & in artibus Magistri*, habeant in locis, in quibus est antiquæ taxationis reductio, si cum cura LX. & sine cura XL. In aliis autē, si cum cura C. & si sine cura fuerit LXX. librarum Turonensium (*m*) prædictorum, secundum taxationem (*n*) ante dictam.

Item cæteri *seculares* habeant in locis reductionem habentibus, de qua supra, si cum cura, XL, si sine cura, XXX. Et *in aliis*, si cum cura, LX, si sine cura fuerit, XL. librarum Turonensium similium.

Item *regulares non graduati*, (*o*) ut supra, habeant in locis cum reductione præmissa, LX, & in aliis LXXX. librarum Turonensium similium, secundum taxationem antedictam.

Item

(*g*) In MSC. Lipsiensi hæc vox, *duntaxat*, est omissa.
(*h*) In MSC. Lips. additur: fuerit.
(*i*) In MSC. Lips. vocula hæc *parvorum* hic non legitur: paulo tamen post, dum redit, in Lipsiensi æque ac Vindobonensi comparet.
(*k*) Ex MSCto Lipsiensi, librarii lapsu omissa sequentia, in Vindobonensi recte expressa, ut oppositio docet: *si cum cura, LXXX. si sine cura LX. Ubi verò talis reductio non est*, & sic porro.
(*l*) In MSC. Lips. *secundum taxationem decimæ.*
(*m*) in MSC. Lips. *parvorum*, ut aliàs.
(*n*) In MSC. *eandem.*
(*o*) In MSC. Lips. librarii utique neglectu, desiderantur sequentia omnia in hac constitutione, à verbis, *ut supra*, usque ad hæc sequentis regulæ verba, *taxam habeant.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Item *seculares non graduati* taxam habeant in *Alemania*, *Scotia*, *& in Hibernia*, si cum cura XXV, & si sine cura, XVIII. *In Anglia* vero, si cum cura, XL, & si sine cura, XXX. Regulares autem XXX marcarum.

Item *in Italia* dentur, si cum cura, LX, & si sine cura, XL florenorum auri, secundum taxationem prælibatam.

Item *in forma pauperum* detur *in locis Gallicanis* cum reductione præscripta, si cum cura, [p] XXV, & si sine cura, XV. Et *in aliis locis*, si cum cura, L, & sine cura, XXX. Et *in Hispania & Arragonia*, si cum cura, XL. & si sine cura XXV, librarum Turonensium parvorum. *In Almania*, si cum cura, XXV, & si sine cura XV. *In Anglia* vero, si cum cura, XXX, & si sine cura, XX marcarum. (q) *In Italia* vero, si cum cura, XXX, & si sine cura, XXV florenorum aureorum.

Item voluit & ordinavit, quod *in partibus Gallicanis* in expectativis nulli detur (r) ad canonicatus & præbendas Ecclesiarum cathedralium: [s] *Magistris in Theologia*, *Doctoribus & Licentiatis* cum rigore examinis *in jure canonico vel civili*, *Magistris in Medicina*, *Licentiatis & Baccalaureis in Theologia*, *Magistris in artibus*, qui per septennium post magisterium (t) in artibus rexerint, vel in Theologia tamdiu studuerint, Apostolicæ sedis officialibus, apud eandem sedem [u] suis officiis actu pro tempore insistentibus, Domini nostri Papæ, Cardinalium, Imperatoris, Regum & Ducum nepotibus & consangvineis ac nobilibus, duntaxat *exceptis*. Aliis verò ad hujusmodi canonicatus & præbendas petentibus detur de beneficio, cum cura vel sine cura, *prout capaces fuerint*, etiamsi canonicatus & præbenda alterius quam cathedralis Ecclesiæ existat, ad integram collationem, utpote Archi-Episcopi, Episcopi & capituli singulorumque canonicorum & personarum, etiam dignitates [x] obtinentium Ecclesiæ, in qua ad præbendas petebant se admitti.

Item voluit & ordinavit, quod *nullus* in rotulis gratiarum expectativarum, (y) datas ordinatas habentibus, *possit aliquem ponere loco sui.* *De substitione in beneficiũ promissũ.*

Item, quod *petenti* ad cujuscunque seu quorumcunque collationem, vel ad plures collationes aut Ecclesias *disjunctive*, detur duntaxat una collatio, vel Ecclesia ex petitis, talis videlicet, qualem verosimiliter habuisset, si eam in sua petitione specificasset. *De petitione beneficii disjunctiva.*

Voluit autem, quod, si plures personæ gratias expectativas in eadem supplicatione petierint, literæ pro primo duntaxat expediantur, & alii careant omnino (z) petitis. *Si plures eadem epistola petant beneficium.*

Item voluit & ordinavit, quod *in Parisiensi*, *Rothomagensi*, *Tornacensi*, *Cameracensi*, *Bajocensi*, *Narbonensi*, *Remensi*, *Ambianensi & Leodinensi* Ecclesiis, nulli detur ad canonicatus, & præbendam ex rotulis expectativis quibuslibet: In *Theologia & Medicina Magistris & Doctoribus*, *cum rigore examinis in aliquo jure licentiatis*, fratribus, nepotibus, (*) & consangvineis Germanis Dominorum Cardinalium, & Magistris nobilibus ac officiali- *De Canonicatibus quarundam Ecclesiarum Gallicanarum.*

(p) in MSC. Lipsiensi alia hic reperitur taxa, his verbis: *Si cum cura XXX, & si sine cura, XXV.* in ceteris omnia sunt paria.

(q) In MSC. Lips. sequentia hujus regulæ de Italia desiderantur.

(r) In MSC. Lips. hic insertum: *in expectatione.*

(s) Inserta hic in Codice Lipsiensi vox *nisi.*

(t) Absunt ex Codice Lipsiensi hæ voces *in artibus.*

(u) Hæ voces, *suis officiis*, desunt quidem in Vindobonensi, sed ex MSCto Lipsiensi restitui debuerunt, ad sensum reddendum.

(x) In Lipsiensi MSC. hic additum: *Ecclesiasticas.*

(y) In MSC. Lips. *datum ordinatum.*

(z) In MSC. Lips. *impetratis.*

(*) In *Codice Lips.* non habetur *& consangvineis.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

officialibus duntaxat ſedis Apoſtolicæ, exceptis.

Item voluit & ordinavit, quod per quamcunq; ſignaturam, *clauſula, etiamſi ſingula conferre habeant*, vel etiam ratione dignitatum &c. quas extra eandem Eccleſiam obtineret, nullatenus in literis expectativis concedatur.

Item, quod *Magiſtri*, *Doctores*, *Licentiati in jure canonico vel civili*, ac *Magiſtri in medicina*, nec non *Licentiati & Baccalaurei formati in Theologia*, unà cum gratiis expectativis quibuscunque obtentis, in rotulis vel ſupplicationibus particularibus poſſint quæcunque *beneficia compatibilia*, quæ obtinent, retinere, dummodo fructus eorum (*Aa*) CCCC. libras parvorum Turonenſium vel tantundem in alia moneta importatis non excedant.

De beneficiis compatibilibus.

Item, quod *in Theologia non formati & in jure canonico vel civili baccalaurei*, vel *Magiſtri in artibus*, *& Licentiati in medicina*, una cum gratiis expectativis poſſint quæcunque *beneficia compatibilia*, quæ obtinent, *retinere*, dummodo eorum fructus &c. (*bb*) CC. libras, vel tantundem in alia moneta in portatis non excedant.

Item quod alii *non graduati* etiam *beneficia*, quæ obtinent, *compatibilia* cum eorum gratiis expectativis *retinere* valeant, dummodo eorum fructus &c. (*cc*) C. libras vel tantundem (*dd*) in portatis non excedant.

Voluit tamen idem Dominus noſter, quod qui habebit *quinque beneficia vel ultra*, quod ſi gratiam expectativam ad unum beneficium, (*ee*) aut unum beneficium vacans, vel certo modo vacaturum, (*ff*) ſeu plura impetret, quod teneatur dimittere tot beneficia, de habitis, quot beneficia aſſequeretur:

De cumulo beneficiorum ſacrorum.

Protonotariis, correctore literarum Apoſtolicarum ac contradictarum, & ſacri palatii Apoſtolici cauſarum Auditoribus, & Secretariis, nec non Domino Vice-Cancellario, vel ejus locum tenente, in camera Apoſtolica præſidenti aſſiſtentibus, duntaxat *exceptis:* Etiam ſi infra ſummas ſupra ordinatas comprehenderentur, niſi *in regnis Siciliæ & Trinacriæ*, *& in provincia Beati Petri*, *in Thuſia & Marchia Anconitana*, ac *in urbe* ac ejus diſtrictu.

Item voluit & ordinavit, quod obtinentes beneficia Eccleſiaſtica quæcunque, vel *in eis jus habentes*, etiam illorum non expreſſo valore, poſſint in communi forma impetrare per petitorum aſſecutionem pacificam obtenta, ac jus hujusmodi realiter dimittendo.

Item voluit & ordinavit, quod in gratiis beneficialibus quibuscunque, per eum quibusvis perſonis pro tempore faciendis, (*gg*) *omnium & ſingulorum beneficiorum*, quæ per eas, etiamſi motu proprio fiant, conceduntur, & (*hh*) aliis nihilominus obtentorum, & de quibus, vacantibus, vel certo modo vacaturis, impetrantibus proviſum aut provideri mandatum vel conceſſum extiterit, niſi ipſi impetrantes ea forſan dimittere maluerint, vel aliàs propter eorum incompatibilitatem dimittere tenerentur, *verus valor* in moneta quacunque ſecundum æſtimationem communem exprimatur. Aliàs literæ ſuper gratiis hujusmodi nullatenus conficiantur. Et *ſub generali clauſula*, in petitionibus plerumque poni ſolita, non obſtante gratia expectativa ſeu diſpenſatione, ſuper obtinendis incompatibilibus in cancellaria Apoſtolica exprimenda in literis ſuper hujusmodi petitionibus conficiendis, quis ultra duo

De valore beneficiorum ſacrorum in petitionibus exprimendo.

(*Aa*) In MSC. Lipſ. numerus multo minor librarii forte lapſu expreſsus, nemp. 4. *librarum*, pro 400.
(*bb*) In MSC. Lipſ. *CL. librarum.*
(*cc*) In Lipſ. MSC. & hic minor eſt numerus, *LX libras.*
(*dd*) In MSC. Lipſ. inſertum, *ut ſupra.*
(*ee*) In MSC. Lipſ. non leguntur hæc verba: *aut unum beneficium vacans.*
(*ff*) In Codice Lipſ. eſt *ſi.*
(*gg*) In MSC. Lipſ. hic inſertum: *motu proprio factis.*
(*hh*) In Codice Lipſ. *in aliis.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

duo beneficia pro qualibet ex gratia & dispensatione hujusmodi nequeat explicare. Qvod si ad plura ipsa gratia vel dispensatio se extendat, petitiones ipsæ omni penitus careant effectu.

Singularis consvetudo quarundam Ecclesiarum in præbendis non ascendēdi.

Item voluit & orninavit, quod si aliqui in expectativis gratiis petant, statutis & *consvetudinibus Ecclesiarum*, quibus cavetur, quod *nullus* inibi *de minoribus præbendis ad potiores sive majores præbendas ascendat*, derogari, literæ cum clausula derogationis hujusmodi nullatenus expediantur, nisi eam ipsius Domini nostri Papæ signatura importet expresse, vel ad partem clausula concedatur antedicta.

De Vacantiis.

De vacantibus officiis sacris inter petentes distribuendis.

Item voluit & ordinavit, quod in gratiis beneficialibus *vacantibus* aut certo modo *vacaturis*, quibuslibet, *si plura petantur beneficia*, unum cujuscunque annui valoris per simplicem signaturam, & addito, *ut petitur*, duo (*ii*) vel tria & non plura petita beneficia veniant, dummodo etiam illorum fructus &c. ultra LX. (*kk*) in portatis vel C. libras Turonensium parvorum communi æstimatione, sive tantundem in alia moneta, non valeant annuatim.

Item voluit & ordinavit, quod in quibuscunque gratiis beneficialibus super vacantibus nulla detur *clausula, generalem reservationem importans*, nisi ex primo vacationis modo, inibi dispositive narrato, aliqua talis reservatio elici possit expresse: Sed aliàs etiam per simplicem signaturam quamcunque veniant omnes modi vacationum & per constitutionem *Execrabilis*, nec non clausulæ devolutionis & specialis reservationis, ac de lite inter alios pendente, si petantur, collitigantes tamen ac etiam alii petentes, scil. neuter in singulis eorum petitionibus super litigiosis beneficiis quibuslibet, de lite, cui se ingerere contendunt, sufficienter faciat mentionem. Aliàs literæ super petitionibus ipsis cum hujusmodi expressione litis non expediantur quocunque modo. Una vero reservationum ex hujusmodi primo vacationis modo, ut præmittitur, elicita, reliquæ petitæ generalium reservationum clausulæ concedantur. (*ll*)

Item voluit & ordinavit, quod ex quibuscunque petitionibus, super novis provisionibus, per *concessum* pro tempore signandum, nulla detur *clausula, generali reservatione, etiam in præsenti disponitur*, aut aliis vacationum modis expressam quomodolibet comprehendens: Nisi per Dominum Vice-Cancellarium data reperiatur apposita singulis petitionibus ante dictis. (*mm*)

Item voluit & ordinavit, quod super beneficiis *de jure patronatus laicorum* quibuslibet, qualitercunque & ubicunque pro

(*ii*) In Lipsiensi Codice omissa nonnulla, hic expressa. Scribitur enim: *duo vel plura petita beneficia.*

(*kk*) Et hic in MSC. Lipsiensi ita scribitur: *Ultra LX. librarum Turonensium parvorum, vel tantundem in alia moneta inportatis non valeant annuatim.*

(*ll*) In MSCto Lipsiensi hæc Constitutio aliter est consignata: *Item voluit & ordinavit, quod in quibuscunque gratiis beneficialibus super vacantibus veniant etiam per simplicem signaturam omnes modi vacationum, & per constitutionem* Execrabilis *petiti, dummodo ex illis, præterquam de primo dispositive narrato, aliqua generalis reservatio non resultet, & etiam clausula devolutionis & specialis reservationis, nec non de lite inter alios pendente, si petant, collitigantes tamen, vel etiam alii petentes, si neuter in singulis eorum petitionibus super litigiosis beneficiis quibuscunq;, de lite, cui se ingerere contendunt, sufficientem faciat mentionem. Aliàs litera cum hujusmodi expressione licet super eisdem petitionibus nullatenus expediantur.*

[*mm*] In *MSCto Lipsiensi* & hæc constitutio alio stylo consignata: *Item voluit & ordinavit, quod in literis super quibuscunque gratiis beneficialibus nulla prorsus alia quam per Constitutionem* Execrabilis *ponatur clausula per generalem reservationem quamcunque, nisi in hujusmodi gratiarum supplicationibus dispositive expressam; Et una reservatione ut præmittitur expressa cetera generalium reservationum veniant, si petentur.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

pro tempore vacantibus, literæ Apostolicæ, nisi in eis, quod illa tanto tempore vacarunt, quod eorum collatio juxta Lateranensis statuta concilii est legitime devoluta, vel quod ipsorum patronorum ad id accedat assensus, expresse ponatur, *nullatenus concedantur*, nisi ipse Dominus noster signaret, etiamsi de jure patronatus laicorum existat.

Item voluit & ordinavit, quod si in aliqua supplicatione petatur beneficium, *per obitum* vel alio modo vacandi in cancellaria Apostolica exprimendum, nequaquam super illa, nisi petens alicui per eum, prius habito colorato titulo, immitteretur, literæ expediantur, sed omni prorsus careant effectu.

Item voluit & ordinavit, quod in literis provisionum Ecclesiarum titularium ponatur *clausula, quod ad ipsas promomoti in eis residere teneantur*, nec possint sine speciali indultu à Papa Pontificalia extra suas civitates & diœceses exercere: Nec expediantur literæ, nisi prius de assignatione provisionis annuæ eis aliunde factæ usque ad summam ducentorum florenorum auri [*nn*] de camera doceatur.

Officia, quibus præsentes fungi tenentur prælati.

Item, quod si in aliqua supplicatione de beneficio vacante aut certo modo vacaturo petatur *data anterior*, nullatenus ipsa veniat, quodque literæ super petitionibus, in quibus data non est apposita, non expediantur, nisi sub data diei, qua in cancellaria ponentur.

Item voluit & ordinavit, quod si aliqui religiosi petant aliquod *beneficium ad nutum revocabile*, cum *clausula*, quod exinde pro solo nutu Abbatis vel superiorum non possit amoveri, literæ quoad ipsam clausulam nullatenus expediantur, nisi idem Dominus noster ponat signaturam, quod non possint amoveri, vel ad partem clausulam ipsam concedat.

Beneficiũ ad nutum revocabile.

De Dispensationibus.

Item voluit & ordinavit, quod per quamcunque signaturam petentibus sibi qualitercunque *de beneficiis Ecclesiasticis* etiam *cum dispensatione* provideri, *dispensatio* nulla detur, nisi per ipsam signaturam expresse concessa appareat, vel, nisi talis fuerit gratia, quæ totaliter actum hujusmodi dispensationis concerneret, vel sine illa de aliquo operari non posset.

De dispensationibus Pacis palibus in officiis sacris impetrandis.

Item voluit & ordinavit, quod petentibus, secum *super defectu natalium*, quem patiuntur, dispensari, si in aliqua sint licita facultate *graduati* vel *magni nobiles*, dentur per simplicem signaturam *quatuor*, & addito, *ut petitur*, ultra petita, etiam si canonicatus & præbendæ, dignitates etiam majores in cathedralibus, etiam metropolitanis, seu principales in collegiatis Ecclesiis fuerint. Aliis autem dentur per simplicem signaturam *duo*, & per *fiat, ut petitur*, [*oo*] si tot petantur, beneficia Ecclesiastica quæcunque, dummodo canonicatus & præbendæ in cathedralibus Ecclesiis, aut dignitates non existant. Circa *spurios* tamen & *expositos* ac consimiles consulatur idem Dominus noster, vel Vice-Cancellarius, ut major in illis *restrictio* servetur. *Clausula non facienda mentionis de defectu*, non veniat, nisi seorsim concedatur.

Super defectu natalium.

De spuriis & expositis.

Item voluit & ordinavit, quod petentibus, secum *super obtinendis incompatibilibus dispensari, si in Theologia aut jure canonico vel civili Doctores, vel cum rigore examinis Licentiati, seu magni nobiles* fuerint, per simplicem signaturam (*pp*) annus, & per *fiat, ut petitur*, biennium etiam, ad duo duntaxat ex hujusmodi incompatibilibus: Dummodo tamen illa in cathedralibus majores post Pontificales, vel collegiatis Ecclesiis principales dignitates, seu parochiales Ecclesiæ, insimul, aut tales mixtim non

De dispensatione super incompatibilia.

(*nn*) *In MSC. Lipsiensi* hæ voces *de camera* non leguntur.

(*oo*) In *MSCto Lipsiensi* hic insertum *quatuor*.

(*pp*) In *MSC. Lipsiensi* plenius: *Detur ad quinquennium, & addito, ut petitur, quoad vixerit ad duo incompatibilia quæcunq;. Aliis verò per simplicem signaturam cedat annus*, & sic porro.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

non fuerint, & cum potestate permutandi, si petatur. Poterit tamen Vice-Cancellarius, vel ejus Locumtenens pro tempore, circa personas alias in licita facultate quacunque, etiam *minus graduatas*, superiorem restrictionem de hujusmodi dignitatibus ac parochialibus Ecclesiis, per tales alios, ut præmittitur, insimul [*qq*] retinendis, moderare, personarum earundem, nec non locorum pensata qualitate.

De Beneficiis parvis. (*rr*)

De dispẽsatione super ætate in sacris officiis impetrandis.

Item voluit & ordinavit, quod (*ss*) pro nullo, nisi saltem *XXII. suæ ætatis annum* attingat, expediantur literæ, quod beneficium quodcunque *cum cura*, vel etiam pro *minori, XVII. annorum* complete, quod dignitatem vel personatú, etiam (*tt*) *sine cura*, valeat obtinere.

De dispẽsatione super ordinibus sacris.

(*uu*) Item voluit & ordinavit, quod secum dispensari petentibus, ut ratione *Ecclesiasticorum beneficorum, curatorum*, aut aliàs ex privilegio, statuto, vel consvetudine *sacros ordines requirentium*, ad ordines, quos hujusmodi beneficia requirunt, vel aliquem ex illis, se non teneantur facere promoveri, si *in Romana curia vel generali studio residere* voluerint, per signaturam simplicem detur quinquennium, (*xx*) & addito, *ut petitur, septennium*. Alibi verò residendo, ex quacunq; signatura qvinqvennium duntaxat concedatur. Hoc tamen semper adjuncto, quod saltem infra annum, à tempore datæ dispensationis hujusmodi, *in subdiaconos sint promoti.*

De dispẽsatione super successione in officio sacro paterno.

Item voluit & ordinavit, quod de cætero etiam per signaturam quamcunque nulli, cujusvis dignitatis, gradus, conditionis existat, ut *suo genitori in beneficiis immediate succedere*, vel in Ecclesiis, in quibus ipse genitor beneficiatus extitit, beneficia obtinere valeat, literæ quomodolibet (*yy*) concedantur.

De Fructibus percipiendis.

De fructibus beneficiorum sacrorum in absentia percipiendis.

Item voluit & ordinavit, quod petentibus *sibi de suorum beneficiorum fructibus in absentia responderi, si in curia Romana vel in studio generali*, per signaturam quamcunque quinquennium, & addito, ut petitur, septennium, in altero vero beneficiorum suorum residere volenti, triennium duntaxat concedatur. (*zz*)

De Indulgentiis.

De indulgentiis

Item voluit & ordinavit Dominus noster, quod *indulgentiæ* per eum deinceps concedendæ, sive per *fiat* [*aaa*] concedentur, sive per *concessum visitantibus* videlicet Ecclesias vel pia loca, seu illis eleemosynas etiam *ad fabricam* vel aliàs, &c. porrigentibus, durent duntaxat *per decem annos*. Et dentur solùm festivitates seqventes: Videlicet [*bbb*] septem Domini nostri, & quatuor beatæ Mariæ, Johannis Baptistæ, Sanctorum Aposto-

Ad decẽ annos.

(*qq*) In MSC. Lips. *perpetuandis.*

(*rr*) In MSC. Lips. alia est inscriptio, np. *De dispensationibus super ætate.*

(*ss*) In MSC. Lips. *nulli nisi XXII.* & sic porro.

(*tt*) In *MSC. Vindobon.* scriptum erat *signatura*, vitio utique librarii. Restituimus *sine cura*, quod videtur rectius, ex *MSCto Lipsiensi.*

(*uu*) In *Lips. Codice* præmittitur titulus: *De dispensationibus ad non sacros.*

(*xx*) Ex *Lips. Codice* addita sequentia, quæ librarii lapsu ex *Vindobonensi MSCt.* omissa: *& addito, ut petitur, septennium. Alibi verò residendo, ex quacunque signatura quinquennium* & sic porro

(*yy*) In *MSC. Lips.* inseritur: *de succedendo in beneficio patris.*

(*zz*) In *MSC. Lips.* sequitur hic titulus: *De diversis formis.* Subjungiturque constitutio, quæ incipit: *Item cum execrabili*, quæ in *Codice MSC. Vindobonensi* infra f. 983. legitur. Hacq; constitutione in Lipsiensi Codice finita, succedit titulus *De indulgentiis.* Qui titulus in Vindobonensi Codice etiam non comparebat. Ast in constitutionibus ipsis recensendis eadem series in utroque codice.

(*Aaa*) In Lips. Codice, *signentur.*

(*bbb*) *In Vindobonensi Codice* legebatur *nativitatem*, vitio utique librarii. Qvare ex *Lipsiensi* restituimus *septem.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Apostolorum Petri & Pauli, celebritas omnium Sanctorum, nec non sanctorum, sub quorum vocabulo Ecclesiæ sive loca hujusmodi sunt fundata, in dedicatione earundem Ecclesiarum & locorum, ac etiam octavis dictarum festivitatum octavas habentium. Et ponatur *clausula*, *volumus*, *quod si alias* &c. Si tempus indulgentiarum adhuc duret, (*ccc*) voluit, quod si aliqua *indulgentia pro una tantum die anni* petita fuerit, non apponantur festa prædicta, ipsaque indulgentia in perpetuum duret.

Ad unum diem anni.

Item voluit & ordinavit, quod si aliquæ *indulgentiæ pro Ecclesiis hospitalibus* aut piis locis, ad instar indulgentiarum aliis Ecclesiis vel aliis locis concessarum petantur, si non (*ddd*) plene specificatæ fuerint, literæ non expediantur super [*eee*] illis.

Pro Ecclesiis hospitalibus.

Item voluit & ordinavit, quod in literis Apostolicis super indulgentiis, per ipsum deinceps concedendis personis visitantibus Ecclesias, seu alia loca pia, vel *ad* eorum reparationem seu *fabricam manus porrigentibus adjutrices*, seu inibi pias eleemosynas erogantibus, si supplicatio signata fuerit per *fiat*, si Ecclesia Cathedralis, vel insignis collegiata Ecclesia aut solenne monasterium fuerit, *tres*, aliquando *duo anni*, & totidem *quadragenæ*: Et si per *fiat*, *ut petitur*, (*fff*) pro cathedrali aut collegiata Ecclesia aut monasterio hujusmodi, *quatuor*, aliquando *tres anni* & totidem *quadragenæ*, licet plures petantur, [*ggg*] per singulas vero *octavarum* festivitatũ consvetarum, [*hhh*] & pro capellis vero tantummodo C. dies apponantur.

De indulgentiis à Cardinalibus indultis.

Item voluit ordinavit, quod deinceps aliquæ literæ *super concessione indulgentiarum* hujusmodi, aut etiam *à pœna & culpa*, pro quibuscunque personis, *sub sigillis Cardinalium* seu alterius cujuscunque non expediantur. Qvod si secus fiat, eo ipso sint *nullæ*. Et in literis Apostolicis super illis conficiendis ponatur *clausula jejunii*.

De diversis Formis.

Item voluit & ordinavit, quod omnes & singulæ beneficiales gratiæ quorumcunque, [*iii*] qui *Consiliarii*, *Secretarii*, aut *familiares ac officiarii Cardinalium*, *Regum*, *Ducum*, *Comitum*, *Principum* seu aliorum quorumcunque, videlicet in petitionibus illis, pro tempore porrectis (*kkk*) asseruntur, nisi *realiter* tempore datæ petitionum hujusmodi & antea *per duos menses integros tales extiterint*, nullius sint roboris vel momenti: Et in literis, super hujusmodi petitionibus conficiendis, *de mensibus eisdem*, ut præmittitur, mentio habeatur expressa.

Civiles ministri Principũ, quibus beneficia sacra per Papam impertienda, sint non titulares, sed vere officiis fũcti.

Item voluit & ordinavit, quod nullus ex Dominis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, vigore cujuscunque gratiæ expectativæ, etiam motu proprio, & sub quacunque forma vel expressione verborum concessæ hactenus, vel inposterum concedendæ, possit aliquam dignitatem in cathedrali post pontificalem majorem, vel in collegiata Ecclesia principalem seu parochialem Ecclesiam vel prioratum, seu aliam dignitatem conventualem, vel præceptoriam generalem, vel officium claustrale, seu etiam quodcunque aliud, cujus fructuum valor ad summam LXX. librarum Turonensium parvorum, vel alterius æquivalentis monetæ importatis

Cardinalium beneficia restrigũtur.

(*ccc*) In Lipsiensi Codice sequentia videntur mutilata librarii neglectu. Scribitur enim: *Voluit tamen quod si aliqua indulgentia in perpetuum duret.* Cetera omissa.

(*ddd*) In Lips. Codice, *si non plenæ & specificatæ*, errore forte librarii.

(*eee*) In Lips. MSC. *aliis*. Rectius forte *illis*, ut in Vindobonensi.

(*fff*) In MSC. Lips. est *in*.

(*ggg*) In Lips. Codice: *pro singulis verò diebus octavarum.*

(*hhh*) Desunt in *Codice Lipsiensi* hæc verba: *& pro capellis vero.*

(*iii*) In Viennensi desiderabatur hæc vox *qui*, quam ex Lipsiensi restituiums.

(*kkk*) In *Vindobonensi Codice*, forte librarii lapsu, *assecuti*, in *Lipsiensi Codice* legitur clare *asseruntur*.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tis non ascendat, beneficium Ecclesiasticum acceptare, seu sibi de illo (*lll*) vel alio facere provideri; Ipsæque *acceptatio & provisio*, si fiant, nullius sint momenti. (*mmm*)

Item voluit & ordinavit, quod quicunque vigore gratiarum expectativarum acceptaverit quæcunque beneficia Ecclesiastica, secularia vel regularia, cum cura vel sine cura, etiamsi canonicatus & præbendæ ac dignitates, personatus vel officia seu administrationes fuerint, teneantur & debeant *infra unius mensis spatium*, à tempore hujusmodi acceptationis computandum, *de* hujusmodi *beneficiis* per eos *acceptatis*, ut præfertur, sibi *per suos executores* vel (*nnn*) subsecutores *facere provideri*. Alioquin lapso dicto mense, hujusmodi acceptationes per eos factæ, & quæcunque inde secuta, quoad numerum & qualitatem beneficiorum, quæ acceptationes concernerent, vel (*ooo*) concernere possent, eo ipso sint cassa & irrita, nulliusq; roboris vel momenti: Et quod infra tres menses ex tunc immediate sequentes teneatur hujusmodi acceptationes & provisiones in *loco beneficii publicare*, aliàs gratia & acceptatio & provisio hujusmodi sit nulla.

De modo beneficiũ Ecclesiasticum occupandi & publicandi.

Item voluit & ordinavit, quod si ipse faceret gratiam de beneficio sine cura, vel de canonicatu, sub expectatione prebendæ alicujus Ecclesiæ, alicui constituto *in nono vel decimo anno suæ ætatis, annotacito*, de hujusmodi ætate gratia ipsa sit nulla. Et idem in vacantibus vel certo modo vacaturis.

Item voluit & ordinavit, quod in literis super *confirmatione* cujuscunque *unionis, compositionis, transactionis* vel alterius *contractus, clausula, supplens defectum*, si quis in eo continetur, nullatenus concedatur, *nisi ipsi defectus essent in petitione specialiter expressi*, vel illa per *fiat, ut petitur*, fuerit signata.

(*ppp*) Item, cum, execrabili potissime aliàs in Dei Ecclesia extirpato schismate, pluribus, *solius præsidentis* (*qqq*) *oculo conquiescente*, ordine turbato relictis, nonnulli *clerici* & Ecclesiasticæ personæ, *seculares & regulares*, etiam *mendicantium* & aliorum *ordinum diversorum, superstitiositatis & ambitionis velamine* (*rrr*) *devecti*, pro suorum ordinariorum ac superiorum victima, tamen potiori calcanda ac *subterfugienda obedientia, in sedis Apostolicæ capellanos* recipi, ac super hujusmodi literis ejusdem sedis Camerarii processus, diversas sententias, censuras Ecclesiasticas, atque pœnas continentes, fieri procurarunt: Propterea ab eorundem superiorum ac ordinariorum jurisdictione prætendentes penitus se exemptos; Unde rerum experientia attestante magistra, *licentia laxato freno*, nonnulla per illorum aliquos commissa *excessus & crimina præteriere detestabiliter impunita*: Idem Dominus noster, super his providere

Post schisma in Cõcilio Const. compositiũ remansere in Ecclesia aliqui prav. mores.

Clerici olim multũ ambitiosi.

Ars pristina cleri, superiorũ imperium excutiendi.

Singularis charakter Capellani apostolicæ sedis.

(*lll*) In Lips. Codice non habentur hæc *vel alio*.

(*mmm*) In MSC. Lips. sequitur integra Constitutio quæ in Vindobonensi non extat: *Item ut aliquando præsumptæ fraudes evitentur, voluit & ordinavit, quod nullus possit beneficium quodcunque & qualecunque, vigore vel sub obtentu cujuscunque gratiæ expectativæ sibi factæ, literis super ea non confectis, acceptare. Quod si secus fiat, acceptores hujusmodi non valeant, nec per eos aliquod præjudicium cuiquam alteri generetur.*

(*nnn*) In Lipsiensi Codice est *subexsecutores*, quod forte rectius.

(*ooo*) Hic filum librarii in Codice Lipsiensi est abruptum. Ut sequentia omnia in eo desiderentur.

(*ppp*) Integra hæc constitutio in Codice Lipsiensi non hic loci, sed supra, ut n. zz. notavimus, inserta habetur. Nos autem ordinem Codicis Vindobonensis secuti sumus.

(*qqq*) In *Vindobonensi codice* legitur, *Ecclesiæ*, in Lipsiensi vero rectius, *oculo*, quod restituendum fuit, sensu urgente.

(*rrr*) Legitur in Vindobonensi Codice *devecti*, sed in Lipsiensi est, *devoti*, fortasse *devincti* legendum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

videre intendens, voluit & ordinavit, atque decrevit, quod tales (*sss*) recepti hactenus, & in antea, *importunitate* forsitan *impellente*, per eum suis literis, etiam desuper decernendis processibus, in *similes capellanos* recipiendi, nisi *Magistri & baccalaurei formati in Theologia, sive Doctores & Licentiati in jure canonico vel civili* fuerint, *adversus quos, virtutem redimentibus studiis, similis ambitionis suspicio non respondet*, prætextu literarum & receptionis earundem, ab hujusmodi jurisdictione superiorum & aliorum ordinariorum præfatorum nullatenus censeantur exemti, sed libere per illos juxta sanctiones canonicas corrigi possint & debeant, perinde in omnibus & per omnia, acsi literæ & processus hujusmodi, quorum etiam in hoc vigorem & subsistentiam protinus ademit, nullatenus (*ttt*) emanassent.

De Doctis est præjudicium virtutis.

Item voluit & ordinavit, quod gratiæ de *Capellanatu Apostolicæ sedis*, quibuscunque personis concedendæ, nisi constet, seu constare possit de earundem personarum expresso consensu, nullius existant roboris vel momenti.

De Capellanatu Apostolicæ sedis.

Item, quod in quibuscunque literis super gratiis beneficialibus in bulla per unum ex lectoribus scribatur, *in plica literæ* post taxam, dies *mensis* per *Calendas Nonas vel Idus*, & deinde *in registro* scribatur dies mensis & annus modo consimili. Et hujusmodi literæ de registro tradantur parti. Et quod super hoc lectores & registratores, & eorum clerici, *præstent in manibus Vice-Cancellarii juramentum.* Et quod hujusmodi scripturæ stetur, & plena fides adhibeatur in judicio, in Romana curia & extra.

De expediendis literis Apostolicis.

Item voluit & ordinavit, quod nullus vigore gratiæ expectativæ, ab ipso impetratæ vel impetrandæ, possit acceptare beneficia, dispositioni suæ vel sedi Apostolicæ quomodolibet reservata, *etiamsi expectans habeat clausulam in genere vel in specie, quod beneficia hujusmodi acceptare possit*, & de illis facere provideri, aut quid simile in effectu.

Item voluit & ordinavit, quod *literæ expectativæ super hospitalibus, leprosoriis, Xenodochiis*, & aliis *piis locis*, quæ pro hospitalitate tenenda sunt fundata, de cætero nullatenus expediantur, nisi talia sint, quæ sua fundatione consveverunt in titulum perpetui beneficii Ecclesiastici signari.

De expectativis super hospitalibus, Xenodochiis.

Item voluit & ordinavit, quascunque *renunciationes, resignationes, cessiones & dimissiones*, de cætero fiendas per quoscunque, quos ad aliquam prælaturam promoveri vel assumi contigerit, de beneficiis quibuscunque Ecclesiasticis, secularibus & regularibus, curatis & non curatis, etiamsi canonicatus & præbendæ, dignitates, personatus & officia, aut alia quæcunque & qualiacunque existant, sive simpliciter seu ex causa permutationis, seu quavis alia, in Romana curia vel extra, in quorumcunque manibus, vel alias quovis modo inter ultimam vacationem prælaturæ hujusmodi & diem promotionis seu assumtionis suæ ad eandem, cum omnibus secutis & sequendis, exinde fore *nullas, invalidas & inefficaces*, nulla, invalida & inefficacia, & nullius roboris vel momenti, & pro infectis haberi.

De resignationibus beneficiorum sacrorum.

Item, *si quis in infirmitate* constitutus *resignaverit* aliquod beneficium, ubicunque, etiam in Romana curia sive extra, causa permutationis, sive simpliciter, postea *infra XX. dies de illa infirmitate decesserit*, talis resignatio non valeat, & sit omnino irrita, cum secutis ex eadem. Et *tale beneficium censeatur vacare per obitum ipsius resignantis.*

De resignatione in morbo.

Item, ut in habendis beneficiis Ecclesiasticis *fraudes evitentur*, servetur *conscientiæ puritas, & ambitionis via ambitiosa præcludatur.*

Fraudes fugiendæ. Conscientia pura servanda. Ambitio vitanda.

Item Dominus noster declaravit, statuit, voluit & ordinavit, quod quæcunque gratiæ, de quibusvis beneficiis, etiam

(*sss*) In Vindobonensi scriptum *cepti*, pro quo in Lipsiensi clarius *recepti*, quod restitutum.

(*ttt*) Lectum quidem in Vindobonensi Codice *evanescent*, verum ex Lipsiensi melior lectio restituta.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

iam ſecularibus & regularibus, cum cura vel ſine cura, *vacantibus*, tanquam *per obitum*, quibusvis perſonis deinceps ſub quacunq; data faciendæ, niſi tempore datæ gratiarum hujusmodi, *notitia vacationum* expoſitarum in gratiis ipſis, de locis apud quæ tunc vacaverint, *ad* dicti *Domini* noſtri veroſimiliter *potuerit devenire notitiam*, & quæcunque inſecuta, nullius exiſtant roboris vel momenti.

De uniobus ac incorporationibus Eccleſiarum.

Itē voluit, mandavit, & ordinavit, quod de cætero quibuscunq; impetrantib9 aliqua *beneficia Eccleſiaſtica uniri vel incorporari* cathedralibus vel collegiatis Eccleſiis ſeu monaſteriis aut menſis Epiſcopalibus ſeu Abbatialibus, aut quibuscunque aliis beneficiis, tales impetrantes *teneantur exprimere verum valorem*, ſecundum communem æſtimationem tam *beneficii* ſic *uniendi*, quam etiam Eccleſiæ, monaſterii aut menſæ, ſeu alterius beneficii, cui *unio* ipſa fieri debeat. Alioquin hujusmodi veniens nō valeat, & literę ſuper eis non expediantur. Et in talib9 unionibus ſemper fiat *commiſſio* ad partes, & *oneretur conſcientia illorum, quibus committeretur*. Et idem voluit obſervari, quando impetratur *confirmatio unionis jam facta*.

Forū Eccleſiaſticū & civile non confundendum.

Item, cum clerici & Eccleſiaſticæ perſonæ, ſuas *cauſas & querelas*, in his videlicet, quæ *de jure & conſvetudine ad forum ſpectant Eccleſiaſticum*, eo temere derelicto, ſecularibus judiciis ſubmittere, ſeu partes ſibi adverſas ad forum de jure vetitum convenire vel trahere præſumant, gravibus proinde pœnis, tam ſpiritualibus, quam temporalibus, etiam jure diſponente alligentur, quod tamen eorum plerique non ſine propriæ ſalutis periculo dare videntur ſæpius in contemtum: Idem Dominus noſter voluit & ordinavit, quod, quicunque ex clericis ſeu perſonis eisdem de cætero talis præſumtionis reus extiterit, niſi de hoc in quibuscunque conceſſionibus & gratiis, per eum ab ipſo Domino noſtro impetrandis, adeò ſpecialem & expreſſam mentionem faciat, quod etiam ſibi ſuper hoc oportune providere valeat, quod ſine cautela ſalutis eo ipſo omni commodo careat eorundem, ipſæmet conceſſiones, diſpenſationes & gratiæ totaliter inefficaces, nullius roboris vel momenti exiſtant, & nihilominus pœnæ canonum contra tales locum habeant, & etiam declarentur.

Lites cum Cardinalibus & Ro. curiæ miniſtris, non niſi in curia Ro. eſſe componendas.

Item, ne de cætero Domini Cardinales aut perſonæ, apud ſedem Apoſtolicam, Romanam videlicet curiam, aut Cardinales eosdem, familiaritatem, officium vel incolatum habentes, ab aliis, ut quandoque contingit, occaſione vel prætextu beneficialium litium, diſtrahantur: Idem Dominus noſter voluit & ordinavit, quod omnes & ſingulæ cauſæ beneficiales, contra quoscunque ex Cardinalibus ſeu perſonis eisdem, aut per eos quibuslibet perſonis de cætero movendæ, etiam ſi de ſua natura ad dictam curiam legitime devolutæ, ſeu in ea tractandæ non fuerint, *apud ſedem Apoſtolicam* prædictam *duntaxat*, apud quam competentia quoad id ſolum pateat eisdem, *tractari, ventilari, & finiri debeant*, nec in illis aliquis ex Cardinalibus, vel ex perſonis eisdem alibi conveniri poſſit invitus: Quod ſi forſan aliquos proceſſus in contrarium fieri contingat, ipſi cum omnibus ſecutis irriti prorſus habeantur & inanes, non obſtantibus privilegiis & indulgentiis Apoſtolicis, ac aliis contrariis quibuscunque.

De Juſtitia.

Appellantes a ſententia in Ro. curia lata, procuratoriū ſuum probent.

Item voluit & mandavit, quod *appellans* quicunque *procuratorio nomine à quavis ſententia in Romana curia pro tempore lata*, ſe in exhibitione mandati ſufficienter ſuper hoc, de quo ſe docere proponit, judici approbet. Aliàs ſi jus hujusmodi faciendi infra tempus ſibi per ipſum judicem ſuper hoc ſtatuendum defecerit, quamvis ille qui pro hujusmodi appellatione interpoſita extiterit, poſtmodum approbaret eandem, niſi de convictis perſonis ſit, vel aliàs legitimam excuſationem allegaret, per eundem judicem falſi procuratoris pœna percellatur, vel à procurationis officio in Romana curia perpetuo, vel ad aliquod tempus longum, ſicuti ipſi judici videbitur, repellatur, ſeu in XX.

vel citra, non cum X. descendendo, florenorum auri summâ, parte unâ in capellaniam auditoris palatii Apostolici, & alia medietate in pauperum usus convertendâ, multetur, nullo sibi super hoc appellationis diffugio quomodolibet profuturo.

Item voluit, & mandavit, quod nullus judex ubilibet constitutus in causis & litibus, etiam per appellationem pendentibus indecisis, ad instantiam cujusvis, proprio aut procuratorio nomine, etiam juris ad jus in beneficio quocunque, si & postquam hujusmodi jus ex persona collitigantis qualitercunq; vacaverit, se *surrogari* petentis, ad hujusmodi faciendam *surrogationem* quomolibet procedat, nisi pro parte surrogandi autoritate, saltem de aliquo colorato & verosimiliter per eum prius habito titulo fides præstetur legitima, aut quod talem causam non malitiose vel fraudulenter, sed pura & bona conscientia instituit: Super hoc ipsi *judici*, verosimilibus spondentibus conjecturis, *corporale præstetur juramentum*: Quidquid autem secus factum extiterit, cum insecutis quibuslibet, nullius existat firmitatis.

De surrogationibus.

Item voluit & ordinavit, quod deinceps *causæ* quæcunque *auditorum causarum palatii Apostolici* vel eorum *notariorum*, nequeant eorum inimicis adversariis, alicui ex auditoribus dicti palatii, vel eorum loca tenenti committi, alioquin processus in contrarium habiti nulla subsistant firmitate.

Item voluit, & ordinavit, quod, si aliqui *debitores* ratione debitorum *se submiserint* districtui seu *coërcitioni cameræ Apostolicæ temporalis Avinionensis* & aliarum curiarum Romanæ curiæ, & Avinionensis civitatis, ad conficiendum debita hujusmodi coram auditore & judicibus earundem curiarum, certos procuratores constituerint, quod si debitores ipsi in dicta Romana curia fuerint præsentes, & eis non vocatis, iidem procuratores debita hujusmodi confiterentur coram eisdem auditoribus & judicibus, confessiones hujusmodi nullius sint roboris vel momenti.

Item voluit & ordinavit, quod *nullus judex* ordinarius vel delegatus, quacunque autoritate fungatur, *possit aliquem de Auditoribus*, præsentibus & futuris, *in Romana curia* commorantibus, *suspendere* vel *excommunicare* quacunque ratione vel causa, etiam si voluntarie se submiserint, excepto Camerario, qui possit contra eum vel eos, si & quando ei videbitur, Ecclesiasticam exercere censuram.

Item statuit, voluit & ordinavit, quod de cætero nulli ad *officium notariatus audientiæ causarum*, seu etiam *curiæ cameræ Apostolicæ* admittantur, nisi primitus *per diligentem examinationem Vice-Cancellarii vel ejus commissarii* ad illud idonei reperti fuerint, & qui etiam saltem xxv. annum suæ ætatis teneant: Qvod omnes *Notarii audientiæ & curiæ cameræ* prædictarum, præsentes & futuri, *per se ipsos hujusmodi sua officia exerceant*, alioquin illis omnino careant, nec deinceps per suos Auditores admittantur: Qvodqve nullus ex prædictis ipsum notariatus officium in audientia causarum & curia cameræ Apostolicæ hujusmodi insimul valeat exercere.

Nova constitutio Martini V. de beneficiis incompatibilibus, ANNO 1417. d. 11. Dec. Constantiæ facta.

Sanctissimus in Christo pater & Dominus noster, DOMINUS MARTINUS, divina providentia PAPA QVINTUS, *die XI. mensis Decembris*, pontificatus sui anno primo, voluit & ordinavit, quod omnes & singuli, cum quibus hactenus per sedem Apostolicam, seu ejus autoritate, *super pluribus incompatibilibus beneficiis Ecclesiasticis*, etiam in vicem perpetuo vel ad tempora obtinendis, *dispensatum* extitit, & quæ jam ab eo obtinuerint, vel inposterum obtinebunt, quascunque gratias de beneficiis Ecclesiasticis vacantibus, vel certo modo vacaturis, si *in Theologia Magistri vel Baccalaurei formati, aut in jure canonico vel civili Doctores, seu cum rigore examinis Licentiati, vel ex utroque parente nobiles* existant, illa, quæ *ultra duo*: Si vero *aliter* in eisdem studiis *graduati*, aut *in medicina*, vel *in artibus Magistri* fuerint, illa, quæ *ultra unum*, habeant vel habent *incompatibilia*, infra annum à tempore possessionis pacificæ beneficiorum, eis ex gratiis eisdem competentium, simpliciter, vel ex causa permutationis pro aliis

aliis compatibilibus: *Cæteri* vero *graduati* vel *ignobiles* qvicunqve, incompatibilia, unicum duntaxat incompatibile transcendentia, in eventum similis assecutionis realiter & omnino dimittere teneantur, dispensationibus prædictis in contrarium minime profuturis: *Familiaribus* tamen ipsius Domini nostri, & *officialibus* dictæ *sedis*, actu & continue suis officiis insistentibus, *nepotibus* Dominorum Cardinalium, magnorum baronum, & supra, filiis & nepotibus, duntaxat exceptis.

De pluralitate beneficiorũ.

Item voluit, qvod circa gratias beneficiales per eum factas & fiendas talis moderatio *circa pluralitatem* vel excessum *beneficiorum* obtentorum vel obtinendorum servetur, qvod *Magistri & Baccalaurei formati, Doctores ac Licentiati*, nec non *nobiles* præfati, ultra CCCC: Cæteri vero *aliter*, ut supra, *graduati*, ultra CCL: Nec non simplices, seu *non graduati vel ignobiles* prædicti ultra C. libras Turonensium parvorum, aut alterius æqvivalentis monetæ, tam in obtentis, quam in quibuscunqve ex gratiis eisdem conseqvendis beneficiis, nullatenus valeant retinere, etiam expeditione literarum, ut reliqva omnia, dimittenda: Duntaxat exceptis *familiaribus & officialibus* Domini nostri *Papæ*, actu & continuo suis officiis insistentibus, Dominorumqve *Cardinalium nepotibus*, qui sub hac ordinatione nullatenus includantur.

Item voluit & ordinavit idem Dominus noster, quod, ubi *pro personis diversis*, super aliquo beneficio Ecclesiastico vacante aut certo modo vacaturo, *sub ejusdem diei data*, diversæ per eum, sive de suo mandato, concessiones aut gratiæ factæ appareant, is, cui gratia *proprio motu* facta fuerit, reliquis omnibus, sub *simili motu non habentibus*: Si vero per aliam signationem literæ fuerint, tunc *graduatus non graduato*: Et inter graduatos *magis graduatus*: Professor [forte *possessor*] quoq;, saltem collegiato titulo, non tamen spoliator, aut institutus per eum, qui potuit scire eum non debere instruere, sive causam possidendi conferre, *non possessori*: Et contrariis qualitatib' seu aliis, ceteris paribus: Præsens *venturo* ab ea *absenti*: ac *oriundus* civitatis & diœceseos, in qua hujusmodi beneficium consistat, alteri *non oriundo*: Et *nullum habens beneficium*, *habenti*; In dicti beneficii assecutione *præferatur*, nisi super hoc idem Dominus noster specialius duxerit ordinandum.

Item ut *calumniatores execrabiles*, quibus per *abusus Romanæ curiæ* datum alimentum, ne contagione serpente seges calescat infecta, *pœnarum* etiam dignis coëmptis *aculeis*, motus improbi exactivis, *reprimantur*, Præfatus Dominus noster ipsius curiæ gloriam obfuscantes, Zizaniæ satores, eliminare contendit: Omnes & singulos, qui *alicujus nominis figmento* supplicationem sive petitionem quamcunque, gratiam, vel justitiam continentem, *surripere*, aut quo minus illa in lucem prodeat, cursui destinato debito quanquam supplicanti eam ut antea *subtrahere* præsumserit, *excommunicationis sententiæ*, & si contra eos super hoc instituto judicio reperti legitime extiterint diversa beneficia Ecclesiastica obtinere, cujuslibet illorum, quæ ultimo assecuti fuere, *privationis*, non beneficiatos verò *inhabilitationis* ad quæcunque Ecclesiastica beneficia imposterum obtinenda, *pœnæ subjiciendo*: Nihilominus emergentium forsitan aliàs scandalorum supprimendis præcipitiis, nudo pacis fomento *carceris acrimoniis* unius mensis spatio absque spe veniæ quanto citius *mancipando* &c.

Hæ
REGULÆ CANCELLARIÆ
JOHANNIS XXIII.
A. 1415. in Constantiensi Concilio sede moti,
& MARTINI V.
A. 1417. in eodem Concilio in sedem evecti,
à
JOHANNE EPISCOPO OSTIENSE
sub utroqve Pontifice
Cardinale & Vice-Cancellario
A. M cccc x. & A. M cccc xvii.
consignatæ atqve publicatæ,
Ex antiqvissimis Codicibus MSCtis
VINDOBONENSIBUS,
LIPSIENSIBUS,
HELMSTADIENSIBUS
in Academia Julia
A. M DC XCVII die 24. Martii
erutæ
Auspiciis
SERENISSIMI BRUNSVICENSIUM
Ducis
RUDOLPHI AUGUSTI
Gloriosissime Imperante
CÆSARE
LEOPOLDO.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf